


~~[illegible]~~

Hippocrates IV d.

SPECVLVM HIPPOCRATICVM

NOTAS ET PRAESAGIA
MORBORVM
NEC NON
VARIA MEDENDI PRAECEPTA
EX MAGNI
HIPPOCRATIS COI
MONVMENTIS
PRAESERTIM APHORISTICIS
ORDINE ALPHABETICO
SIMVLQVE AD PRAXIN COMMODO
DIGESTA OB OCVLOS PONENS
IN VSVM
SACR. GENTIS ASCLEPIADEAE
CONCINNATVM

EDITIO ITALICA PRIMA.



FLORENTIAE MDCCLX.
APVD ANDREAM BONDVCCIVM
FACVLTATE PVBLICA.

Πάντων τῶν πρὸς τὴν πρόῤῥησιν ἡγεμὼν ἐςὶν ὁ θαυμάσιος ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ.

Omnium, quae ad praedictionem, princeps est divinus ille HIPPOCRATES.

GAL. *in L III. Epid. I. 8.*

Διδάσκαλος καὶ τούτων τῶν γνωρισμάτων, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὁ θαυμάσιος ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ.

Eiuſcemodi ſignorum auctor, aeque ac reliquorum omnium, mirus eſt HIPPOCRATES.

GAL. *L. de Temper. II.* 14.

Ο μὲν ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ συμπάντων ἡμῖν τῶν ἀρίςων μαθημάτων ἡγεμών.

HIPPOCRATES nobis omnibus fuit dux atque auctor optimarum diſciplinarum.

GAL. *L. de Criſ. III.* 11.





LECTORI BENEVOLO

ANDREAS BONDVCCIVS.

SPECVLVM HIPPOCRATICVM, *frugiferum & perrarum summi Viri* Rudolphi Zuingeri *Opus, tibi offero, amice Lector. Hoc me ut iterum in lucem proferrem auctores fuerunt olim duo Sapientiae Ornamenta, ac Etruscae Medicinae Columina,* Antonius Cocchius, & Iosephus Bertinius, *qui meritis & monumentorum gloria invidiam superarunt. Tantorum Virorum iudicio & consilio suffultus, onus suscepi, quo tandem mihi,* DEO *annuente, defungi licuit. Attamen eam utilita-*

tem,

tem, quam ex nova hac Editione Medicae Facultati promanaturam speramus, Bernardi, *atque* Antonii Bertini *fratrum humanitati debemus; qui memorati* Iosephi, *clarissimi eorum parentis, in arduo Doctrinae, Honestatis, ac Beneficentiae tramite vestigiis insistentes, mihi unicum in Etruria, & fortasse alibi, huiusce voluminis Exemplar ex lectissima, qua pollent, bibliotheca bono publico utendum concesserunt. Hoc igitur Opus, benigne Lector, hilari fronte excipias, rogo: quod si, ut est in votis, contigerit, animos addes, quô haud minus probanda, ac profutura scripta in lucem edere aggrediar. Inter quae principem locum sibi vindicabunt Opuscula, quotquot exstant, Italice elaborata eximii Viri* Antonii Cocchii, *quae mense Martio insequentis anni* 1761. *e meo typographio prodibunt. Vale.*



ORNATISS. AVDITORIBVS SVIS SACRAE GENTIS ASCLEPIADEAE ALVMNIS

IO. RVDOLPHVS ZVINGERVS S.

CVM in facienda medicina, tanti sit usus, ac necessitatis, Semeiologiae studium, iam ab incunabulis susceptae praxeos clinicae, existimavi non levis in hac arte ponderis esse, notas & praesagia morborum, in scriptis magni HIPPOCRATIS Coi, praesertim aphoristicis, memoriae prodita. Quare animum subiit, eius observata ad singulares casus, subinde inter medendum obvios applicare, & quantum divinae naturae responderent, animadvertere. Id faciendo non sine animi voluptate didici, eum

non minus in morborum signis, quam Therapiae praeceptis stabiliendis, naturam ducem, & experientiam magistram, mira solertia & fidelitate secutum esse, eiusque adeo placita, paucioribus exceptis, si recte intelligantur, & cum prudenti iudicio accipiantur, tanquam solidae veritatis axiomata haberi posse. Ex quo valde placuit institutum HONORATI BICAISSII (1), quando ad singulos morborum titulos alphabetice digestos, omnia HIPPOCRATIS effata eo spectantia, ex eius Aphorismis, Praenotionibus, Praedictis, & Coacis in unum collecta, ob oculos posuit, sicque & repertu, & cognitu faciliora reddidit. Quali etiam consilio LVCAS VERHOOFD, Aphorismis a se editis Lugd. Bat. 1685. indicem locupletissimum, iuxta seriem morborum methodice digestum subiunxit. Ac novae aphorismorum editioni Tubingensi 1730. pariter Synopsis eorumdem per locos communes digesta accessit. Vnde visum est, in Semeiologia & Therapia morborum adhuc maiori usui futurum, si tam multae ac variae sententiae in monumentis HIPPOCRATIS, praeser-

tim

(1) Vid. Manuale Medicorum, s. Synopsis aphorismorum Hippocratis. 12. Lond. 1659. & Genevae 1660.

tim aphoristicis, longe lateque dispersae, servata utcunque alphabeti serie, in ordinem praxi medicae commodum redigerentur. Eo consilio concinnatum hoc Speculum, quae ad diagnosin, prognosin, & therapiam morborum faciunt, seorsim & distincte tradit. Dein quoad diagnosin, causas evidentes praegressas, tum notas antecedentes, vel comitantes; & quoad prognosin, notas & praesagia salutis, vel periculi, vel mortis, vel etiam novi morbi futuri, discretis articulis ob oculos ponit. Demum quoad therapiam, regulas medendi, ubi forte plures occurrunt, ad suum quasque fontem relatas exponit. Ita velut in promptuario, praecipua quaeque HIPPOCRATIS dogmata uno quasi conspectu obvia habentur, alioqui in vastis eius operibus non sine labore inquirenda. Quod si tamen ipsos fontes adire lubeat, eo haec ipsa synopsis faciliore via Vos manuducet, si loca allegata in opusculis aphoristicis iunctim editis, inspicere atque consulere, interdum loca plura parallela conferre, demum si quae alibi exstant, ea in ceteris eius scriptis legere haud gravemini. Sic pro arbitratu vestro, aut ex rivulis haurire, aut ex ipso fonte & scaturigine sitim re-

gin-

ſtinguere licebit. Quod ſi iuxta huius Speculi uſum, accuratam morborum Semeiologiam, & elegantiae plenam IOD. LOMMII (1), nec non inſigne Opus *de praeſagienda vita & morte aegrotantium* PROSP. ALPINI (2), ad manus ſumere, omnique ſtudio & cura verſare haud pigeat, eximia ſpes eſt, Vos bono cum Deo, in morbis & cognoſcendis, & curandis, tanto facilius ac felicius verſaturos. Quae ſpes ne me fallat, aut Vos fruſtretur, ex animo precor. Ceterum allegationes in hoc Speculo, numeris aphorismorum reſpondent, qui in opuſculis aphoriſticis occurrunt. Quae autem ad alios HIPP. libros ſpectant, LINDENIANAE Editioni Lugd. Bat. 1665. accommodatae ſunt. Iteratae ſaepius quorundam aphorismorum repetitiones, pro inſtituti ratione, vix poterant evitari, eoque nomine forte excuſari merentur. Satius videbatur, aliquam ſententiam pluribus locis iterari, quam vel unico deſiderari. Valete ASCLEPIADAE SVAVISSIMI, & quae veſtri commodi ſtudio exarata ſunt, aequi bonique conſulite.

SPE-

(1) *Iod. Lommii* Obſervationes medicinales. Amſtel, 1720.

(2) *Prosp. Alpini* de Praeſagienda vita & morte aegrot. 4to Lugd. Bat. 1710.



SPECVLVM HIPPOCRATICVM.





BORTVS.

NOTAE AD DIAGNOSIN SPECTANTES.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Ver boreale, ſiccum, & tempeſtoſum, poſt hiemem auſtrinam, pluvioſam, & clementem. *De Aer. Aqu. & loc. XXVI.* 4.

Acria, aut amara ingeſta, praeter conſuetudinem, dum adhuc parvulus eſt fetus. *De Morb. Mul. I. XLII.*

Febres cum vehementi attenuatione, abſque manifeſta occaſione, in gravidis. *Aph. V.* 55.

Mulieri in utero gerenti, ſi alvus multum fluxerit, periculum ne abortiat. *Aph. V.* 34.

Mulieri in utero gerenti teneſmus ſuperveniens, abortire facit. *Aph. VII.* 27.

Mulier in utero gerens ſecta vena abortit: & magis, ſi maior fuerit fetus. *Aph. V.* 31.

Quae praeter naturam tenues exiſtentes in utero gerunt, abortiunt, priusquam craſſeſcant. *Aph. V.* 44.

NOTAE ANTECEDENTES.

Mulieri in utero gerenti, ſi mammae ex improviſo graciles fiant, abortit. *Aph. V.* 37.

Mulieri in utero gerenti, ſi altera mamma gracilis fiat, gemellos geſtanti, alterutrum abortit. Et ſiquidem dextra gracilis fiat, marem; ſi vero ſiniſtra, feminam. *Aph. V.* 38.

Quae perditurae ſunt fetus, his mammae graciles fiunt. Si vero rurſus durae fiant, dolor erit, aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus, & non perdunt. *Aph. V.* 53.

Spirationes ſuſpiriosae, quae foras educuntur, ac citra rationem facta colliquatio, in uterum gerentibus, abortiones indicant. *Coac.* 519.

Quae ſuſpirioſae ſpirationes foras educuntur in febribus, abortionis periculum afferunt. *Coac.* 540.

Si mulier uterum gerens, ventrem aut lumbos doleat, metuendum eſt, ne fetum abortiat, membranis ipſum cingentibus diſruptis. *De Morb. Mul. I. XLII.*

NOTAE AD PROGNOSIN SPECTANTES.

NOTAE PERICVLI.

Quae ex partu, & abortu, copioſa celeriter cum impetu feruntur, ſi ſubſiſtant, moleſtiam exhibent. Huiusmodi mulieribus rigor inimicus eſt, & alvi perturbatio, praecipue vero, ſi praecordiorum dolore vexentur. *Coac.* 516.

Ex abortione ubi alba derepente percurrunt, ſi rigor aliquis corripiat, & ad femur impetus fiat, tremor moleſtus ſubit. *Coac.* 543.

NOTAE LETHALES.

Ex laterum inanitate ad tenue inteſtinum migrantes dolores, in diuturnis morbis, ex abortione, neque admodum purgata muliere, perniciem denunciant. *Coac.* 515.

ABSCES-

ABSCESSVS IN GENERE.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Si in ventrem ſanguis effuſus fuerit praeter naturam, neceſſe eſt ſuppurari. *Aphor. VI.* 20.

Abſceſſus magis hieme fiunt, tardiusque ceſſant, & minus recurrunt. *Praenot.* 143.

Quibus ad palatum humor colligitur, plerumque in pus vertitur. *Coac.* 238.

NOTAE ABSCESSVS FVTVRI.

Circa puris generationes, dolores & febres magis accidunt, quam ipſo facto. *Aph. II.* 47.

Alvi durities cum dolore, in febribus horroris ſenſu inſignibus, ac cibi faſtidio laborantibus, niſi paulum humectata alvo purgationem faciat, ad ſuppurationem tendet. *Coac.* 303.

Lumborum & inferiorum partium dolores, cum febre, ſi relictis inferioribus ſeptum transverſum appetant, neque aliud periculoſum ſignum acceſſerit. *Coac.* 108.

Praecordia tumida, dura, ac dolentia, ubi dies 20. ſuperarunt, & febris detinuerit. *Coac.* 280.

Praecordia tumida, mollia, & doloris expertia, ſi manente febre, intra 60. non deſinunt. *Coac.* 281.

Urina cruda, diu perſeverans, cum reliquis ſignis ſalutaribus, abſceſſum & dolorem, praecipue infra ſeptum tranſverſum, denunciat. *Coac.* 582.

NOTAE LOCI SVPPVRANDI.

Quibus ex morbo reſurgentibus aliquid dolet, ibi abſceſſus fiunt. *Aph. IV.* 32.

Sed &, ſi quid doluerit ante morbum, ibi ſe figit morbus. *Aph. IV.* 33.

NOTAE ABSCESSVS FACTI.

Doloris ac febris remiſſio. *Aph. II.* 47.

Quibus ſuppuratum quid in corpore exiſtens, nullum ſui ſignum prodit, his propter craſſitudinem puris, aut loci, ſui ſignum non exhibet. *Aph. VI.* 41.

In angore, & pervigilio vexatis, ad aures abſceſſus maxime obveniunt. *Coac.* 563. *Praedict.* I. 157.

Convulſio cum tremore, corporis iactatione, & implaciditate, ac alto ſtupore, quem *catochon* vocant, parvulorum circa aures obortorum abſceſſuum ſpem facit. *Praedict.* I. 162.

In capitis dolore, ſopor, & ſurditas, aliquem ad aures abſceſſum effundunt. *Praedict.* I. 168.

Praecordiorum contenſio, cum ſopore, corporis incontinenti iactatione, & capitis dolore, tubercula ad aures attollit. *Praedict.* I. 169. *Coac.* 189.

Qui ſopore detinentur, cum corporis incontinenti iactatione, praecordiorum dolore, & pauca vomitione, in iis tuberculorum ad aures exortum ſperare oportet. Sed & antea, quae circa faciem contingere ſolent, in conſiderationem adhibere convenit. *Praedict.* I. 165. *Coac.* 183. 185.

Quae convulſionis in morem affligunt, cum alto ſtupore, quem *catochon* vocant, abſceſſus ad aures excitant. *Praedict.* I. 161.

Ex ſurditate abſceſſus ad aures contingere, conſentaneum eſt, praeſertim vero ſi implaciditas quaedam, aut inquies corporis iactatio ſuccedat. Ac inter hos in iis, qui ſopore detinentur, iſta magis ſperare oportet. *Praedict.* I. 159. *Coac.* 209.

In ſpirituoſis, & anhelatoribus, morbo regio laborantibus, & febre acuta, cum praecordiorum duritie, & tumore, ſi corporis ſumma perfrigerentur, magnorum circa aures abſceſſuum exortum fortaſſis expectare oportet. *Praedict.* I. 164.

In his conſiderandum, in quibus ſperamus abſceſſus circa aures futuros, num ex capite doleant? num ſuperiorum partium tenuibus ſudoribus diffluant? numquid etiam ſubinde novum rigorem ſentiant? an forte etiam alvi affatim prorumpant? aut aliquo ſopore detineantur? *Coac.* 203.

Viden-

Videndum quoque, num & in his urina diluta, cum sublimibus quibusdam in medio suspensis, albidis? & aliquantum variantia, exalbicantia, aut graveolentia appareant? *Ibid.*

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTIS.

Tussiculae, quae cum crebris oris sputationibus procedunt, tubercula ad aures emolliunt. *Coac.* 204. *Praedict. I.* 167.

NOTAE PERICVLI.

Graves aurium abscessus, qui citra iudicationem sensim conquiescunt, & dissipantur, damno sunt. *Praedict. I.* 170.

Tubercula ad aures excitata, in leviter sideratis, malo sunt. *Coac.* 202.

In tumoribus ad aures, urinae celeriter, ac pauco tempore concoctae, damno sunt. Quin & perfrigerari, itidem malum est. *Coac.* 205.

NOTAE LETHALES.

In diuturnis morbis, suppurati ad aures tumores, nisi pus admodum album, ac sine odore reddant, exitium, praecipueque mulieribus afferunt. *Coac.* 206.

Ex praecipitibus morbis, in febribus ardentibus maxime, tubercula ad aures exoriuntur, ac nisi iudicatorie solvantur, & maturescant, aut sanguis ex naribus profluxerit, aut crassum sedimentum urina acceperit, aegros interimunt. *Coac.* 207.

ABSCESSVS AD CRVRA.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTIS.

Abscessus ad crura, in peripneumoniis gravibus, ac periculosis, omnes quidem utiles sunt: optimi vero, qui fiunt, dum iam sputum in mutatione est. *Praenot.* 114. *Coac.* 396.

Si tumor, & dolor fiat, ſputo pro flavo purulento evadente, & foras procedente, ita ſecuriſſime homo ſuperſtes evaſerit, & abſceſſus abſque dolore celerrime ſedabitur. *Ibid.*

NOTAE PERICVLI.

Si neque ſputum pro ratione excernitur, neque in urina bonum apparet ſedimentum, periculum eſt, ne claudicet aeger, aut ne res multum negotii ſit exhibitura. *Coac.* 306. *Praenot.* 119.

Si abſceſſus intro recurrant, perſeverante febre, neque prodeunte ſputo, periculum aut mortis, aut delirii imminet. *Coac.* 396. *Praenot.* 116.

ABSCESSVS AD GINGIVAS.

Moderatus capitis dolor, cum inexhauſta ſiti, aut ſudore febrem non ſolvente, gingivarum abſceſſus, aut circa aures tubercula denuntiat, niſi alvus erumpat. *Coac.* 173.

Dentis ſideratio abſceſſum ad gingivas enatum ſolvit. *Coac.* 236.

ABSCESSVS AD HYPOCHONDRIA.

Quae quidem ſuppurationes foras vertuntur, optimae ſunt, ubi parvae ſunt, & quam maxime foras feruntur, & in acutum tendunt. *Praenot.* 38.

Peſſimae vero, quae magnae ſunt, & latae, minimeque in mucronem attolluntur. *Praenot.* 39.

At quae intro rumpuntur, optimae, ubi nihil cum externa ſede communicant, in ſeſe contrahuntur, nullo dolore afficiunt, totaque regio externa unius coloris apparet. *Praenot.* 40.

ABSCESSVS IN LATERE.

Si in latere tuberculum naſcatur, & ſuppuratus fiat, haec pariter; Rigor tenet, & febris, & tuſſis ſicca, per multos dies; & dolet latus, & ad mammam, &

ad

ad claviculam, & ad scapulas, dolor impetum facit. *De Int. affect. X. 1. ad 5.*

ABSCESSVS OSSIS.

A sphacelo, abscessus ossis. *Aph. VII. 77.*

ABSTINENTIA.

Pituitosi supernis partibus, cibi praeter morem abstinentiam, omnino facilius ferunt. *De Vict. acut. XVII. 7.*

ACVTI, vid. MORBI.

AESTAS, vid. ANNI TEMPVS.

AETAS.

NOTAE VARIAE.

Aetates septem: infantis ad annos 7. pueri ad 14. adolescentis ad 21. iuvenis ad 28. viri ad 49. senioris ad 56. senis ad vitae extremum. *De Aetat. II.*

Morborum alii ad alia tempora, bene aut male se habent: & aetates quaedam ad tempora, & regiones, & victus. *Aph. III. 3.*

Secundum tempora autem, vere quidem, & prima aestate, pueri, & his aetate proximi, optime degunt, & maxime sani sunt. Aestate vero, & autumno ad aliquam quidem partem, senes. Reliquo autem autumno, & hieme, qui medii sunt aetate. *Aph. III. 18.*

Morbi ante pubertatem non metuendi sunt: Peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix in tibia, fluor sanguineus, cancer non innatus, albicans vitiligo, defluxio in medullam spinalem, haemorrhois, chordapsus non a natura insitus. *Coac. 512.*

Aetas ab anno 14. ad 42. omnis generis morborum ferax est. *Coac. 512.*

Ab anno aetatis 42. ad 63. neque strumae fiunt, neque vesicae calculus, nisi antea occupet, neque in spinalem medullam defluxio, neque renum morbus, nisi ex alia aetate sequatur, neque sanguinis per ora venarum

narum profluvium, neque fluor ſanguineus, niſi prius adfuerit; atque hi morbi ad ſenectutem uſque abſunt. *Coac.* 512.

MORBI INFANTVM recens NATORVM.

Aphthae, vomitus, tuſſes, vigiliae, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates. *Aph.* *III.* 24. *de Dentib.* 1. 3. 11. 14.

DENTIENTIVM.

Gingivarum pruritus, febres, convulſiones, alvi profluvia, & maxime ubi caninos dentes producunt, & iis, qui inter pueros ſunt craſſiſſimi, & qui alvos duras habent. *Aph.* *III.* 25.

PVERORVM.

Tonſillae inflammatae, verticuli in occipitio introrſum extruſiones, aſthmata, calculorum generationes, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucae penſiles, ſatyriaſmi, ſtranguriae, ſtrumae, & alia tubercula, maxime vero ſupra dicta. *Aph.* *III.* 26.

Plurimae quidem affectiones pueris iudicantur, aliae in 40. diebus: aliae in 7. menſibus: aliae in ſeptem annis; aliae ipſis ad pubertatem accedentibus. Quae vero pueris permanſerint, neque ſolutae fuerint circa pubertatem, aut feminis circa menſtruorum eruptiones, perſeverare ſolent. *Aph.* *III.* 28.

ADOLESCENTVM.

Multi ex praecedentibus, & febres diuturnae magis, & ſanguinis ex naribus fluxiones. *III.* 27.

IVVENVM.

Sanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutae, epilepſiae, & alii morbi, maxime vero ſupra nominati. *Aph.* *III.* 29.

VIRORVM.

Aſthmata, pleuritides, peripneumoniae, lethargi, phrenitides, febres ardentes, alvi profluvia diuturna, cholerae, dyſenteriae, lienteriae, haemorrhoides. *Aph.* *III.* 30.

SE-

SENUM.

Spirandi difficultates, catarrhi tuſſiculoſi, ſtranguriae, dyſuriae, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiae, cachexiae, pruritus totius corporis, vigiliae, alvi & oculorum, & narium humiditates, viſus hebetudines, glaucedines, auditus gravitates. *Aph. III.* 31.

ALIMENTA, vid. CIBUS.

ALVUS.

AD DIAGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Quibus, dum ſunt iuvenes, alvi ſunt humidae, *iis* ſeneſcentibus ſiccantur. Quibus vero, dum ſunt iuvenes, alvi ſunt ſiccae, his ſeneſcentibus humectantur. *Aphor. II.* 20.

Quicunque alvos habent humidas, dum quidem iuvenes ſunt, melius liberantur his, qui ſiccas habent. Ad ſenectutem vero, peius liberantur; ſiccantur enim utplurimum ſeneſcentibus. *Aph. II.* 53.

Alvi humiditates ſenibus infeſtae. *Aph. III.* 31.

Quotidianae conſtitutiones aquiloniae alvos ſiccant. *Aph. III.* 17.

Quibus per febres, ſanguinis copia undecunque eruperit, in refectionibus, his alvi humectantur. *Aph. IV.* 27.

Virium exſolutio dolorem ſolvens, alvum maxime humectam reddit. *Coac.* 629.

Alvus perturbata, ſalſuginoſa demittens, una cum febre, non admodum ſopore & torpore oppreſſos conſequitur. *Coac.* 641.

Cutis corporis ſqualida, & plus aequo ſicca, male affectae alvi index eſt. In his praerubrae carunculae, purulentae, fere ex alvo prodeunt. *Coac.* 625.

Serpentia ulcera ſupra inguina ad laterum inanitatem, & pubem enata, male affectam alvum denunciant. *Coac.* 628.

Aeſtuo-

Aestuosae deiectiones, & cum contentione procedentes, male affectam alvum praenunciant. *Coac.* 643.

ALVI DEIECTIO IN GENERE.

AD DIAGNOSIN.

Mictio noctu multa contingens, parvam deiectionem significat. *Aph. IV.* 33.

Quibus spumosae egestiones in alvi profluviis, his de capite pituita defluit. *Aph. VII.* 30.

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Et urinae, & alvi excrementa, & sudores, cum apparent, vel iudicatu faciles, vel difficiles, vel breves, vel longos morbos fore indicant. *Aph. I.* 12.

Alvi recrementum crassum fieri oportet, in iudicationem eunte morbo. *Coac.* 601. *Praenot.* 61.

Alvi recrementa, quae in spumosa, & sincera desinunt; omnibus quidem ingravescentis mali significationem praebent, convulsione vero tentatis, vel maxime. *Coac.* 613. *Praedict. I.* 50.

DEIECTIO MELIORIS NOTAE.

Alvi recrementum optimum est molle, costans, aliquatenus fulvum, nec admodum graveolens, eoque tempore, quo per secundam valetudinem deiici solet, excretum, copia vero ingestis cibis respondens. *Coac.* 601. *Praenot.* 57.

Vtile quoque, quod lumbricos teretes ad iudicationem exire cogit. *Coac.* 601. *Praenot.* 62.

Alvi recrementum purum succedens, febrem acutam solvit cum sudore. *Coac.* 649.

DETERIORIS NOTAE.

In morbo diuturno appetitus prostratus, & meracae deiectiones, malum. *Aph. VII.* 6.

In praecipitibus malis, spumans & circumbiliosum alvi recrementum, malo est. Malum quoque & exacte candicans. Adhuc vero deterius, farinae molitae in-

ar,

ſtar, & ſtercoroſum. Praeter haec ſopor malo eſt, & cruenta alvi deiectio, ac immoderata vaſorum inanitio. *Coac.* 602.

Alvi recrementum glutinoſum, ſincerum, aut album, in vitio eſt. Vitioſum quoque, quod abunde fermentatum eſt, & aliquantulum pituitoſum. Pravum etiam, cum ex his quae denſata feruntur, quod ſubſidet, aliquantulum liveſcit, purulentum ac bilioſum eſt. *Coac.* 604. *Praedict. I.* 100.

Tenue alvi excrementum, & ſpumans, in quo quod ſubſidet aqueum eſt, & ex pallido vireſcens, malo eſt: malum quoque purulentum. Nigrum etiam cruentum, malum, cum febre, atque alias. Vitioſum quoque varium, abunde coloratum alvi excrementum, eoque deterius, quo colore formidandum magis, praeterquam in medicamenti potione. Tunc namque periculo vacat copia non exſuperans. Friabilis quoque mollis in febre alvi ſeceſſus, vitio eſt. Vitioſus quoque ſiccus, qui facile diſſolvitur, nec cohaeret, decolor, idque praecipue, ſi alvum humectet: lethalis vero, ſi nigra antea prodierint. *Coac.* 608.

Liquidum alvi recrementum, & brevibus intervallis cumulatum, malo eſt. Partim namque vitium, & inſomniam, partim vero exſolutionem pariet. *Coac.* 609.

Perliquidum, & aliquantulum friabile alvi recrementum, cum ſumma totius corporis perfrigeratione, non ſine febre, vitioſum eſt. Rigores praeterea veſicam, & alvum corripiunt. Valde vero aquoſa deiectio, in praecipitibus malis non deſinens, malo eſt; atque eo magis, ſi ſitis vacuitatem fecerit. *Coac.* 610. *Praedict. I.* 115.

Alvi recrementa, quae perliquida, ac rurſus conſiſtentia, ſincera, ſtercoracea, morbi longitudinem denunciant. *Coac.* 613.

Stercoracea alvi egeſtio, cum tenſione, alvum male affectam denunciat. Pituitoſa vero repente, cum oris ventriculi dolore, inteſtinorum difficultatem, & fortaſſe etiam lumborum dolorem. In talibus alvus circum-

cumtensa, ex necessitate liquida demittens, celeriter intumescens, quandam convulsionis significationem prae se fert. In iis novus subinde rigor, periculum creat. *Coac.* 617.

In humecta alvo, perfrigeratio cum sudore, vitiosa. *Coac.* 647.

LETHALIS.

Exitialis est deiectio pinguis, & nigra, ac livida, cum odoris gravitate; itemque biliosa, simile quiddam lentium, aut cicerum lomento continens; aut veluti bene florulentos sanguinis grumos, & infantium egestionem odore referens, ac varia, eademque diu perseverans. Talis etiam fuerit cruenta, strigmentosa, biliosa, nigra, & simul, & per vices excreta. *Coac.* 631.

Exitialis quoque deiectio, quaecunque prodeundo sensum aegri fallit. *Coac.* 631.

Ex diuturno ventris affectu, vomentibus, biliosis, cibum aversantibus, copiosus sudor obortus, cum repentina virium impotentia, lethalis. *Coac.* 638.

Humescente alvo, sanguis ex gingivis effluens, lethalis. *Coac.* 648.

ALIVM MORBVM PRAESAGIENS.

ABSCESSVM ad ARTICVLOS.

Quibus circa initia alvus turbatur, urinae autem paucae sunt, temporis progressu alvus quidem resiccatur, urina vero tenuis abundat, his abscessus ad articulos fiunt. *Coac.* 619.

DELIRIVM.

Alvi recrementum praerubrum, in febre, delirium denunciat. *Coac.* 613.

HYDROPEM.

Biliosis alvus perturbata, exigua reddens, geniturae similia, & mucosa, doloremque ad imum ventrem inferentia, urinae quoque non facile prodeuntes, ad hydropem tendunt ex huiusmodi casibus. *Coac.* 455. 644.

ICTE-

ICTERVM.

Frequentes, & ex parvis intervallis desidendi labores, aliquantulum glutinosa excernentes, cum paucis stercoraceis, praecordiorum, & lateris dolore, morbum regium praenunciant. *Coac.* 621.

MANIAM.

Quibus faciei incendium, & intensus rubor solvitur, & graveolens est alvi egestio, redundans & subrubra, in his insaniae metus est. *Coac.* 624.

ALVI DEIECTIO ALBA.

AD PROGNOSIN.

DETERIORIS NOTAE.

In gravibus malis, & biliosis, exacte candicantes, spumantes, & circumbiliosae egestiones, malo sunt. *Praedict.* I. 53. 117. *Coac.* 602.

Exacte candicans alvi recrementum in febre, nullam bonam iudicationem denunciat. *Coac.* 615.

Alvi recrementum candicans, stercorosum, in morbo regio molestiam exhibet: ac liquidum etiam, ubi resederit, ruborem adeptum. *Coac.* 613.

In phrenitide albicans deiectio, ac torpor, malum denunciat. His succedens rigor pessimus. *Coac.* 91. *Praedict.* I. 13.

LETHALIS.

Candidum & liquidum excrementum, cum alvi tumore, lethale. *Coac.* 611.

ALVI DEIECTIO BILIOSA.

AD DIAGNOSIN.

Contractum labrum biliosae alvi perruptionem denunciat. *Coac.* 240.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Biliosus alvi fluxus, & qualis in intestinorum difficultate

te fieri assolet, die 7. 9. aut 14. contingens, a febribus vindicat. *Coac.* 152.

Biliosas alvi deiectiones furditas, & surditatem biliosa alvi deiectio sedat. *Coac.* 627. *Aph. IV.* 28. 60.

DETERIORIS NOTAE.

In biliosis & sinceris deiectionibus, spumosa efflorescentia malo est, iis praesertim, quos antea lumborum dolor, ac desipientia vexavit. *Praedict. I.* 21.

Quibus, prodeunte egestione alvi biliosa, ad pectus morsus, ac amaritudo sentitur, ii male habere iudicantur. *Coac.* 43.

Alvi recrementa mala, quaecunque varia, & quae bile abunde sunt saturata. *Coac.* 612.

ALIVM MORBVM PRAESAGIENS.

ICTERVM.

Spumans, & bile obductum alvi recrementum, vitio est. Quin & inde morbus regius contrahitur. *Coac.* 606.

PAROTIDES.

Glutinosae, biliosae deiectiones, magis quodammodo abscessus iuxta aures excitant. *Coac.* 622.

In biliosa alvo, molli, stercoracea egerente; apparentes aestus tumorem ad aures excitant. *Coac.* 626.

AD THERAPIAM.

Quibus deiectiones biliosae, & qui in acutis sunt febribus, his lac alienum est. *Aph. V.* 64.

ALVI DEIECTIO NIGRA.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE ANTECEDENTES.

Pectoris dolor cum febre, & alvus perturbata cum torpore, nigras deiectiones prae se fert. *Coac.* 274.

In suppuratis surditas suborta, & sanguinolenta deiectio secuta. *Coac.* 420.

Pruritus omnibus nigrorum secessum denunciant, & grumos vomitione refusos. Tremulae etiam affectiones, cum morsu, ac capitis dolore, nigras deiectiones

nes praedicunt. Tales vero praecedit vomitus, & ubi vomuerint, talia multa praeterea revelluntur. *Coac.* 636.

Quibus cum alvi perturbatione, ſub iudicationem morbus ingraveſcit, iis nigra per alvum prodeunt. *Coac.* 637.

NOTAE COMITANTES.

Quibus nigra per alvum ſecedunt, ii tenuibus & frigidis ſudoribus diffluunt. *Coac.* 618. 633.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Tenues nigrorum deiectiones horrorem inducentes, in talibus meliores. Tales praecipue iuvant aetatem, quae vigorem antecedit. *Coac.* 635.

DETERIORIS NOTAE.

Deiectiones nigrae, qualis ſanguis niger, ſponte prodeuntes, & cum febre, & ſine febre, peſſimae. Et quanto colores deiectionum plures fuerint peiores, eo deterius: cum purgante vero melius. Et quanto colores plures, non mali ſunt. *Aph. IV.* 21. *Coac.* 612.

Vbi alvus modice intercepta, nigra, ſtercoribus caprarum ſimilia, nec niſi coacta demittit, hoc caſu naſus erumpens, malo eſt. *Coac.* 603.

LETHALIS.

Morbis quibusvis incipientibus, ſi bilis atra vel ſurſum, vel deorſum prodierit, lethale. *Aph. IV.* 22.

Quibuſcumque, ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocumque modo extenuatis, bilis atra, vel qualis ſanguis niger, prodierit, poſtridie moriuntur. *Aph. IV.* 23.

Quibus praecordia inflammatione tentantur, & pus colligunt, iis ſub mortem nigra deiiciuntur. *Coac.* 288.

Ex ſignis autem, nigra alvi egeſtio, mortem ſignificat. *De Vict. acut. XLVIII.* 1.

Egeſtio nigra, poſt ſurditatem pus intro colligentibus ſubortam, & ſanguinolentam deiectionem. *Coac.* 420.

PAROTIDES PRAESAGIENS.

Alvo ſtercora nigra demittente, ſi ſopor appareat, tubercula ad aures excitat. *Praedict. I.* 166.

ALVI DEIECTIO SANGVINEA.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE ANTECEDENTES.

Qui in febribus tertianis ingraveſcunt dolores, tertianarum naturam aſſumunt, & ſanguinis grumos per ſeceſſum egerunt. *Coac.* 123.

Ex praecordiorum doloribus, alvus aliquantum viſcida paulatim tranſmittens, ſtercoracea pauca effundit, ac fortaſſis ſanguinem profundit. *Coac.* 293.

Surditas pus intro colligentibus ſuborta, ſanguinolentam deiectionem denunciat. *Coac.* 420.

Lumborum dolores ſanguinis profluvium excitant. *Coac.* 306.

Frequentes, & ex parvis intervallis deſidendi labores, aliquantulum glutinoſa excernentes, cum paucis ſtercoraceis, praecordiorum & lateris dolore, morbum regium praenunciant. Animadvertendum autem, num ex iſtorum ſuppreſſione, ii cum virore palleſcant. Eos vero etiam exiſtimo ſanguinem profundere. Hos quoque lumborum dolores affligunt, & his ſanguinem profundentibus, ſanguis ſplendidus prodit. *Coac.* 621.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Sanguis niger ſubtus ſecedens, bonum. *Aph. IV.* 25.

Qui praecordiorum doloribus, oris ventriculi, iecoris, ac earum, quae ſunt circa umbilicum, partium conflictantur, cruenta alvi deiectione liberantur; ſecus autem, moriuntur. *Coac.* 295.

DETERIORIS NOTAE.

Alvi excrementum nigrum, cruentum, malum, cum febre, atque alias. *Coac.* 608. *Aph. IV.* 21.

San-

Sanguis ſplendidus alvo per ſeceſſum reiectus, malo eſt, praeſertimque ſi dolor aliquis adſit. *Coac.* 605.

A ſanguinis eruptione, nigrorum per alvum egeſtio, malo eſt. Quin & praerubrae, ac aeruginoſae deiectiones, damno ſunt. *Coac.* 330.

In medicamentorum purgantium uſu, & circumfluo humorum affluxu, ſanguis tenuis frequenter eliquatus, vitio eſt. *Coac.* 639.

LETHALIS.

In praecipiti malo, quae poſt ſanguinis eruptiones, & nigrorum per alvum refuſiones, ſurditas obvenit, malum denunciat. In his ſanguinis egeſtio perniciem affert: ſurditas autem ſolvit. *Coac.* 331.

Lethale vero eſt etiam, multum ſanguinem grumoſum ex alvo effluere. *Coac.* 611.

Poſt lumborum dolores, & ſanguinis ſplendidi egeſtionem, cum ſopore, & capitis dolore, ſubinde incaleſcere, perniciem denunciat. *Coac.* 621.

Vitioſae etiam ſunt praerubrae deiectiones, aeruginoſae, quarta die apparentes, ac eiuſmodi ſanguinis profluvia ſoporem inducunt. In his caſibus ex convulſione moriuntur, nigris ante prodeuntibus. *Coac.* 632. 330.

ALVI FLVXVS. DIARRHOEA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas dentitionis infantum. *Aph.* III. 25.

Aetas ſenilis. *Aph.* III. 31.

Anni tempus aeſtivum. *Aph.* III. 21.

Tempeſtas pluvioſa. *Aph.* III. 16.

Balbi ab alvi profluvio maxime corripiuntur longo. *Aph.* VI. 32.

Quae circa ſedem cum dolore ſuppurant, alvum conturbant. *Coac.* 630.

NOTAE ANTECEDENTES.

Hypochondria elevata, murmurantia, cum dolore lum-

borum superveniente, in febribus, nisi flatus eruperint, aut urinae copia prodierit. *Aph. IV.* 73.

Ructus, flatus, ventris sonitus, cum inflatione. *Coac.* 142.

Vrina diluta, aut arenida & facile dissolubili asperitate returbata, liquidam fore alvum denunciat. *Coac.* 583.

Lingua tremula nonnullis prorupturae alvi significationem praebet. *Coac.* 645.

NOTA FONTIS.

Quibus spumosae egestiones in alvi profluviis, his de capite pituita defluit. *Aph. VII.* 30.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Convulsiones derepente ortas febris solvit, ac alvi fluxus, *Coac.* 358.

Ex capitis dolore interdum liberat somnus, ac alvi fluxus. *Coac.* 172.

Si a leucophlegmatia detento vehemens diarrhoea superveniat, morbum solvit. *Aph. VII.* 29. *Coac.* 457. 482.

Ophthalmia laborantem ab alvi profluvio corripi, bonum. *Aph. VI.* 17. *Coac.* 224. *De Iudicat.* 83.

Quibus in febre aures obsurduerint, his sanguis e naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum solvit. *Aph. IV.* 60. *Coac.* 210.

Alvi fluxus interdum solvit praecordiorum, aut crurum, & inferiorum partium dolorem, derepente absque febre natum. *Coac.* 294.

Alvus perturbata, cum frequenti desidendi labore, maxillas intendit, rubores etiam faciei solvit. *Coac.* 616.

In alvi profluviis mutationes excrementorum iuvant, nisi in prava mutentur. *Aph. II.* 14.

Qui alvi profluvio diutius cum tussi detinentur, non liberantur, nisi dolores vehementes ad pedes contigerint. *De Iudicat.* 77.

DETERIORIS NOTAE.

Ex morbo diuturno alvi defluxus, malum. *Aph. VIII.* 5.

Praerubrum in alvi proluvie excrementum, vitio est;

Vi-

Vitiosum etiam, admodum ex viridi pallescens, aut albicans, aut spumans, aut aquosum. *Item* malum est, quod exiguum, glutinosum, leve, & ex viridi subpallidum. Pessima quoque deiectio liquida, in sopore & torpore detentis. *Coac.* 611.

LETHALIS.

Alvus in febre ardente affatim prorumpens, mortis periculum adfert. *Coac.* 129.

Quibus tabe laborantibus, capilli de capite defluunt, hi alvi fluxu superveniente moriuntur. *Aph. V.* 12.

A tabe detento, alvi profluvium superveniens, lethale. *Aph. V.* 14.

In iis qui longo tempore consumpti sunt, temerariae, & quae praeter rationem fiunt, alvi exsolutiones, una cum vocis defectione tremula, perniciem denunciant. *Coac.* 634. 258.

INSANIAM PORTENDENS.

Vbi alvus humecta est, aegri lassitudine, capitis dolore, siti, insomnia torquentur, in praerubro colore liberatis, insaniam metuere oportet, si spirandi difficultas adfuerit. Quos etiam ex virore pallescentes facilis spiratio iuvat, alvo subinde prorumpente. *Coac.* 642.

AMAVROSIS, vid. CAECITAS.

ANGINA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus anni vernale, & autumnale. *Aph. III.* 20. 22.
Constitutio pluviosa. *Aph. III.* 16.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

Ab angina detento, tumorem fieri in collo, bonum: foras enim morbus vertitur. *Aph. VI.* 37.

Ab angina detento, tumor & rubor in pectore superveniens, bonum; foras enim vertitur morbus. *Aph. VII.* 49.

Securius est, tumorem & ruborem ad externa converti. *Praenot.* 136.

Securitatis indicium est, ruborem & abscessus ad externas quammaxime partes vergere. *Coac.* 365.

Praecipue autem malum prorogatur, quibus non solum fauces, sed cervicem quoque, & pectus una rubor occupat. Maxime vero potest inde secunda valetudo contingere, si rubores ad interna minime revertantur. *Coac.* 365. *Praenot.* 134.

Erysipelas foris exstare, utile. *Coac.* 366.

In angina laborantibus, absque ulla significatione gracilescentibus faucibus, dolor intensus ad pectus, aut ad alvum progressus, purulentas deiectiones facit. Alioqui autem tale quid solutionem prae se fert. *Coac.* 375.

NOTAE LONGIORIS MORBI.

Quae tumorem, ac ruborem in collo capiunt, in reliquis quidem eodem modo se habent, verum diuturniores sunt. *Coac.* 364.

Diuturni sunt, qui ad crura progrediuntur dolores, aegreque ad pus deducuntur. *Coac.* 376.

NOTAE PERICVLI.

In angina laborantibus subarida sputa, gracilescentibus faucibus, malum praenunciant. *Coac.* 369.

In angina, absque ulla significatione redundantes in caput dolores, cum febre, periculum indicant. *Coac.* 372.

In angina, quaecunque conspicuum dolorem non produnt, periculi plena sunt. *Coac.* 376.

Sputa ex angina viscida, crassa, exalbida, vi educta, malum denunciant: omnisque eiusmodi maturatio mala est. *Coac.* 377.

NOTAE LETHALES.

Anginae, in quibus neque in collo, neque in faucibus quicquam apparet, sed quae vehementem suffocationem, ac spirandi difficultatem adferunt, eodem, aut tertio die necant. *Coac.* 363. eodem die, & 2. & 3. & 4. strangulant. *Praenot.* 132.

Qui-

Quibus anginam effugientibus, ad pulmonem vertitur; 7. diebus moriuntur. Si vero hos effugerint, suppurati fiunt. *Aph. V.* 10. nisi pituitosa sursum educantur. *Coac.* 367.

Quod si rubores evanescant; neque in exteriores partes conversum sit tuberculum, neque pus facile, & sine dolore excreetur, aut neque ista diebus iudicatoriis contingant, perniciem denunciant. *Coac.* 365. *Praenot.* 135.

Erysipelas intro vergere, lethale. Cuius quidem rei indicium est; cum rubore evanescente pectus gravatur, & aegrius spiritum trahit aeger. *Coac.* 366.

Quibus in vehementi pulsatione stercus derepente deiicitur, lethale. *Coac.* 368.

In anginis, linguae tumores absque ulla significatione evanescentes, periculum denunciant. Quin etiam dolores citra evidentem causam disparentes, perniciem ostentant. *Coac.* 370.

Angina laborantes, nisi celeriter cocta expuant, perniciose habent. *Coac.* 371.

In angina, absque ulla significatione delati ad crura dolores, cum febre, perniciosi. *Coac.* 373.

In angina laborantibus, citra iudicationem praecordii dolor, cum impotentia & torpore obveniens, latenter necat, etsi moderate admodum habere videantur. *Coac.* 374.

Post sputa prava, multa deorsum purgatio, levis siderationis modo, mortem adfert. *Coac.* 377.

Sputa ex angina subarida, crebra, per tussim, & cum lateris dolore educta, perniciem minantur. Atque ea quae inter potandum per tussim reiiciuntur, quaeque difficulter deglutiuntur, malum portendunt. *Coac.* 378.

AD THERAPIAM.

Auxilia: Venaesectio in brachiis, & sub lingua, eclegmata, gargarismi, tonsura capitis, ceratum collo & capiti circumpositum, lana obvoluta, fotus cum spon-

giis mollibus ex aqua calida expressis, potus ex aqua, & mulsa non frigida; tandem succus ptisanae, quum iam ex iudicatione in tuto fuerit. *De Vict. acut. XXXIX. 8. ad 16.*

Anginam & ophthalmiam venaesectio solvit. *Epid. VII.*

ANIMVS, vid. MENS.

ANIMI DELIQVIVM, vid. LIPOTHYMIA.

ANNI TEMPVS.

IN GENERE.

Mutationes anni temporum maxime pariunt morbos; & in ipsis temporibus magnae mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo. *Aph. III. 1.*

Naturarum aliae quidem ad aestatem, aliae vero ad hiemem, bene, aut male sunt constitutae. *Aph. III. 2.*

Morborum alii ad alia tempora, bene aut male se habent; & aetates quaedam ad tempora, & regiones, & victus. *Aph. III. 3.*

In temporibus, quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. *Aph. III. 4.*

In constantibus temporibus, si tempestive tempestiva reddantur, constantes, & iudicatu faciles fiunt morbi; in inconstantibus autem, inconstantes, & difficiles iudicatu. *Aph. III. 8.*

Morbi omnes quidem, in omnibus temporibus fiunt: nonnulli vero in quibusdam ipsorum magis & fiunt, & exacerbantur. *Aph. III. 19.*

TEMPVS VERNALE, eiusque MORBI.

Ver saluberrimum, & minime exitiale. *Aph. III. 9.*

Vere quidem insaniae, & melancholiae, & epilepsiae, & sanguinis fluxiones, & anginae, & gravedines, & raucedines, & tusses, & leprae, & impetigines, & vitiligines, & pustulae ulcerosae plurimae, & tubercula, & articulorum dolores. *Aph. III. 20.*

TEM-

TEMPVS AESTIVVM.

Aestate vero & vernalium nonnulli, & febres continuae, & ardentes, & tertianae plurimae, & quartanae, & vomitus, & alvi fluxus, & ophthalmiae, & aurium dolores, & oris exulcerationes, & pudendorum putredines, & sudamina. *Aph. III.* 21.

TEMPVS AVTVMNALE.

In autumno morbi acutissimi, & perniciosissimi omnino. *Aph. III.* 9.

Autumnus tabidis malus. *Aph. III.* 10.

Autumno autem & multi ex aestivis, & febres quartanae, & erroneae, & lienes, & hydropes, & tabes, & urinae stillicidia, & lienteriae, & dysenteriae, & coxae dolores, & anginae, & asthmata, & volvuli, & epilepsiae, & insaniae, & melancholiae. *Aphor. III.* 22.

TEMPVS HIEMALE.

Hieme vero pleuritides, peripneumoniae, lethargi, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectorum, & laterum, & lumborum, & capitis dolores, vertigines, apoplexiae. *Aph. III.* 23.

ANNI AC COELI CONSTITVTIO VARIA.

SICCA.

Ex anni constitutionibus, in universum quidem siccitates pluviosis sunt salubriores, & minus lethales. *Aph. III.* 15.

In siccitatibus, tabidi, ophthalmiae, arthritides, stranguriae, & dysenteriae. *Aph. III.* 16.

In siccitatibus febres acutae fiunt, & siquidem annus pro maiori parte talis fuerit, qualem fecit constitutionem, utplurimum etiam tales morbos exspectare oportet. *Aph. III.* 7.

PLVVIOSA.

Morbi in pluviosis plerumque fiunt, & febres longae, & alvi fluxiones, & putredines, & epileptici, & apoplectici, & anginae. *Aph. III.* 16.

AQVILONIA.

Si aquilonium fuerit anni tempus; tusses, fauces asperae; alvi durae, urinae difficultates, horrores, dolores costarum, & pectorum expectandi. *Aph. III.* 5.

Quotidianae constitutiones aquiloniae corpora compingunt; & robusta; & facile mobilia; & bene colorata; & melius audientia faciunt; & alvos siccant; & oculos mordent; & dolorem circa thoracem; si quis praeexistat, maiorem faciunt. *Aph. III.* 17.

AVSTRINA.

Austri auditum gravantes, caliginosi, caput gravantes, segnes, dissolventes. *Aph. III.* 5.

Quotidianae constitutiones austrinae corpora dissolvunt, & humectant; & auditus graves; & capitis gravitates feciunt; & vertigines in oculis; & corporibus motum difficilem; & alvos humectant. *Aph. III.* 17.

CONSTITVTIO VARIA SVCCESSIVA.

De temporibus, siquidem hiems sicca & aquilonia fuerit; ver autem pluviosum, & austrinum, aestate necesse est febres acutas fieri; & ophthalmias, & dysenterias, maxime autem mulieribus; & viris natura humidis. *Aph. III.* 11.

Si vero hiems austrina, & pluviosa, & tranquilla fit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres quidem, quibus partus in ver incidit, ex omni occasione abortiunt: quae vero pepererint; infirmos & morbosos pariunt pueros; ita ut vel statim illi pereant; vel tenues & morbosi vivant. Ceteris vero mortalibus dysenteriae; & ophthalmiae siccae fiunt: senioribus autem catarrhi brevi perimentes. *Aph. III.* 12.

Si vero aestas sicca & aquilonia fiat, autumnus autem pluviosus, & austrinus, capitis dolores ad hiemem fiunt, & tusses, & raucedines, & gravedines: quibusdam vero etiam tabes. *Aph. III.* 13.

Si vero aquilonius, & sine pluviis autumnus fuerit, iis quidem qui natura sunt humidi, & mulieribus, com-

mo-

modus erit: reliquis vero erunt ophthalmiae ſiccae, & febres acutae, & gravedines diuturnae: nonnullis vero etiam melancholiae. *Aph. III.* 14.

ANOREXIA.

AD PROGNOSIN.

Vtplurimum omnes qui male habent, circa principia quidem bene comedentes, & nihil proficientes, ad finem rurſus cibum non appetunt. Qui vero circa initia quidem cibum omnino non appetunt, poſtea autem bene appetunt, melius liberantur. *Aphor. II.* 32.

In morbo diuturno appetitus proſtratus, & meracae deiectiones, malum. *Aph. VII.* 6.

In longis dyſenteriis appetitus proſtratus, malum: & cum febre, peius. *Aph. VI.* 3.

AD THERAPIAM.

Non febricitanti, appetitus deiectus, & oris ventriculi morſus, & tenebricoſa vertigo, & os amareſcens, ſurſum purgante opus eſſe, indicat. *Aph. IV.* 17.

ANXIETAS.

AD PROGNOSIN.

MALA.

Qui in diebus indicatoriis, cum angore, aut incontinenti corporis iactatione, abſque ſudore perfrigerantur, atque omnino qui ſine ſudore perfrigerantur citra iudicationem, male habent. *Coac.* 38.

Qui anxie ſe iactantes, citra vomitum exacerbantur, male habent. *Praedict. I.* 76.

LETHALIS.

Anxietate vexatis praecordiis, oborta ad aures tubercula, mortem adferunt. *Coac.* 302.

ABSCESSVM ad AVRES PRAESAGIENS.

Angor, & pervigilium. *Coac.* 563.

ABSCESSUM LACRYMOSUM ad OCULOS.

Anxietas cum alvi turbulenta suppressione, & velut culicum puncturis celeriter in cutem erumpentibus. *Coac.* 564.

AD THERAPIAM.

Anxietatem, oscitationem, horrorem, vinum par pari aqua potum, solvit. *Aph. VII.* 56.

APHTHAE.

Parvis & recens natis pueris infestae. *Aph. III.* 24.

APOPLEXIA.

AD DIAGNOSIN.

CAUSAE ANTECEDENTES.

Aetas senilis. *Aph. III.* 31.
Aetas ab anno 40. ad 60. *Aph. VI.* 57.
Tempus hiemale. *Aph. III.* 23.
Tempestas pluviosa. *Aph. III.* 16.

NOTAE ANTECEDENTES.

In morbis melancholicis periculosi humorum decubitus. *Aph. VI.* 56.

Torpores, & stupores, praeter consuetudinem evenientes, adfuturam siderationem denunciant. *Coac.* 476.

Impotentia ex vulnere accidens, nisi febre citra rigorem oborta sani evadant. *Coac.* 477.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALUTARES.

In sideratis succedentes haemorrhoides, utiles. *Coac.* 478.

In sideratis, si febris accedat, solutio contingit. *Coac.* 479.

NOTAE PERICULI.

In sideratis refrigerationes, & torpores, malum denunciant. *Coac.* 478.

NOTAE LETHALES.

Solvere apoplexiam, vehementem quidem, impossibile; debilem vero, non facile. *Aph. II.* 42.

Qui-

Quibus ſanis dolores derepente fiunt in capite, & ſtatim muti fiunt, ac ſtertunt, in 7. diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. *Aph. VI.* 51.

AD THERAPIAM.

Qui derepente ſine febre voce deficiunt, iis venam ſecare oportet. *Epid. II. V.* 21.

APPETENTIA CIBI.

A morbo belle comedenti nihil proficere corpus, malum eſt. *Aph. II.* 31.

AQVA.

EIVS QVALITATES.

Aqua, quae cito calefit, & cito refrigeratur, leviſſima. *Aph. V.* 26.

Aquae pluviales, leviſſimae & dulciſſimae, tenuiſſimae ac limpidiſſimae ſunt. *De Aer. aq. & loc. XVII.*

Aquae optimae ſunt, quae ex ſublimibus locis, ac terreis collibus fluunt, maxime ad ſolis ortum, praeſertim aeſtivum ſcaturientes. *Ibid. XIV.*

Aquae optimae ſunt, quae fontes ſuos ad orientem habent; 2. quae inter aeſtivos ſolis exortus, ac occaſus emergunt; 3. quae inter occaſus aeſtivos, ac hibernos ſcaturiunt; 4. peſſimae, quae ad auſtrum, & quae inter aeſtivum ortum, & occaſum. *Ibid. XIV. XV.*

Aquae ex nive, & glacie productae, omnes malae ſunt. *Ibid. XX.*

Aquae paluſtres, ſtabiles, & lacuſtres, pravae ſunt. *Ibid. X.*

EIVS VSVS.

Aquae plurimam partem conferunt ad ſanitatem. *Ib. X.*

Aquae ſalſae, crudae, & durae, non omnibus bonae; nonnullis tamen naturis, & morbis conveniunt. *Ibid. XIV.*

Quorum ventres duri ſunt, his aquae dulciſſimae, leviſſimae, & limpidiſſimae conferunt. *Ibid. XV.*

Quo-

Quorum ventres molles, humidi, & pituitosi sunt, his aquae durissimae, crudissimae, ac subsalsae conveniunt. *De Aer. aq. & loc. XV.*

AQVOSA ANTE PARTVM, vid. PARTVS.

AQVILO, vid. VENTVS.

ARS.

Vita brevis, ars longa. *Aph. I. 1.*

ARTHRITIS. PODAGRA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas senilis. *Aph. III. 31.*
Tempus vernale, & autumnale. *Aph. III. 20. VI. 55.*
Siccitates. *Aph. III. 16.*
Febres longae. *Aph. IV. 44. 45. VII. 64. Coac. 118.*

NOTAE ANTECEDENTES.

Vrina crassa, albam subsidentiam habens, articulorum dolorem, aut tumorem denunciat. *Praedict. II. 35.*

NOTAE VARIAE.

Eunuchi non laborant podagra, neque calvi fiunt. *Aph. VI. 28.*

Puer non laborat podagra, ante veneris usum. *Aph. VI. 30.*

Mulier non laborat podagra, nisi menses ipsi defecerint. *Aph. VI. 29.*

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Qui podagrici morbi fiunt, hi sedata inflammatione in 40. diebus decedunt. *Aph. VI. 49.*

Morbus longus ac molestus est, sed non lethalis. *De Affect. XXXII.*

Podagra violentior est omnibus circa articulos morbis, diuturnissimus, ac aegre cedens morbus. *Ibid.*

SANABILIS.

Iuvenis, cui necdum circa articulos calli induruerunt, cui-

cuique victus ratio curae est, ad laborem est impiger, alvumque habet vitae instituto probe cedentem, is sane prudentem nactus medicum, sanus evadet. *Praedict. II. 54.*

INSANABILIS.

Qui in senectute tofos, aut callos in articulis induratos habent, aut laboriose vitam tolerant, cum alvo sicca, ii sane omnes, (ut sentio) humana arte sanari nequeunt. His certe succedentes dysenteriae optime medentur, quin & quaecunque aliae colliquationes infernae eos valde iuvant. *Praedict. II. 53.*

AD THERAPIAM.

Tumores in articulis, & dolores absque ulcere, & podagricos, & convulsiones, horum plurima, frigida multa affusa, & levat, & attenuat, & dolorem solvit. Torpor enim modicus doloris solvendi vim habet. *Aph. V. 25.*

Arthritidi conducit adhibere, qua parte dolor haeret, frigefactoria, alvum subducere per clysteres, aut glandem subditam: Quum vero dolor intus fuerit, pharmacum infra purgans bibendum dare; & post hoc serum coctum, & asininum lac. *De Affect. XXXI.*

Podagrae eadem conveniunt, quae morbo articulari. *Ibid. XXXII.*

ARTICVLI.

Quibus ad articulos praerubrae pustulae superficiales enatae sunt, ac subinde rigent, iis velut ex acceptis plagis, cum dolore venter, & inguina rubescunt, & pereunt. *Coac. 489.*

ARTICVLORVM DOLOR, vid. ARTHRITIS.

ARTICVLORVM ABSCESSVS, vid. ABSCESSVS.

ASTHMA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas

Aetas puerilis, virilis, senilis. *Aph. III.* 26. 30. 31.
Tempus autumnale. *Aph. III.* 22.
Vlcera faucium proserpentia, graviora, & magis acuta. *De Dentit. III.* 17.

AD PROGNOSIN.

EIVS SOLVTIO.

Spinae perversionem, & spirandi difficultatem, sanguinis fluxus liberat. *Coac.* 311.

NOTAE LETHALES.

Qui gibbi ex asthmate, aut tussi, fiunt ante pubertatem, moriuntur. *Aph. VI.* 46.
Desipientia cum difficultate spirandi, & sudore, lethalis est. Quin etiam cum difficultate spirandi, & singultu, mortem adfert. *Coac.* 89.
Cum spirandi difficultate arescentes, in tabe, cruda multa educentes, exitialiter habent. *Coac.* 445.

NOTAE HYDROPIS SICCI FVTVRI.

Spirationes quae non nisi erecta cervice ducuntur, hydropem siccum faciunt. *Coac.* 424.

CONF. RESPIRATIO.

ATRA BILIS, vid. BILIS.

AVDITVS GRAVITAS. BARYCOIA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas senilis. *Aph. III.* 31.
Constitutio austrina. *Aph. III.* 5. 17.

AD PROGNOSIN.

Quibus in febre aures obsurduerint, his sanguis ex naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum solvit. *Aph. IV.* 60.
In acuta febre aures obtusae, vehementem insaniam portendunt. *Coac.* 196.

CONF. SVRDITAS.

AV-

AVRES.

Aurium humiditates, parvis & recens natis pueris infestae. *Aph. III.* 24.

Aures frigidae, pellucidae, contractae, lethales. *Aph. VIII.* 24.

AVRIVM DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

Ipsi tempus aestatis obnoxium. *Aph. III.* 21.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

Si pus album ex aure fluxerit, iuniorem superfuturum spes est, siquidem aliud quoddam ei bonum signum supervenerit. *Praenot.* 130.

Si puris copia ex aure, & sanguis ex naribus effluat, aut aliud quoddam laudabile signum exstiterit. *Coac.* 189.

NOTAE PERICVLI, vel EXITII.

Auris dolor acutus, cum febre continua & vehementi, gravis: periculum enim delirii, & mortis aegro adfert. *Praenot.* 130.

Moriuntur autem ex hoc morbo, iuniores quidem homines die 7. aut citius; senes vero multo tardius. Nam & febres, & deliria, minus eis suboriuntur, auresque eam ob caussam suppuratio praeoccupat. Verum his quidem aetatibus succedentes morbi reversiones plurimos interficiunt: iuniores vero, priusquam auris suppuret, intereunt. *Praenot.* 130. *Coac.* 189.

AD THERAPIAM.

Si auris doleat, lacte utendum. *Epid. II. V.* 29.

Ad auris dolorem cucurbitam affigito. *Epid. II. VI.* 46.

Si auris doleat, lana digito obvoluta oleum calidum instillato. *Epid. VI. V.* 20.

AVRIVM SONITVS, TINNITVS, MVRMVR.

AD DIAGNOSIN.

Qui lethargo, aut veterno conflictantur, (post varia Symptomata superata) tandem mentis compotes facti, de cervicis dolore conqueruntur, ac incertos sonitus per aures impetu ferri sentiunt. *Coac.* 139.

AD PROGNOSIN.

NOTA LETHALIS.

In praecipitibus morbis, murmur edentes, ac tinnientes aures, mortem praenunciant. *Coac.* 193.

NOTAE ALIAE MORBI FVTVRI.

HAEMORRHAGIAE LIBERALIS.

Quibus Lumborum dolor in caput recursat, & manus torpore affectae, ac oris ventriculi dolorem sentiunt, aut aurium sonitus, ii liberaliter sanguinem profundunt. *Coac.* 308.

HAEMORRHAGIAE NARIVM cum MENTIS EXCESSV.

Aurium sonitus, cum visus hebetudine, & ad nares gravitatis sensu, mentis excessum, ac sanguinis ex naribus profluvium praesagiunt. *Coac.* 131. 194.

HAEMORRHAGIAE NARIVM, aut MENSTRUORVM PROFLVVII.

Quae caput concutiunt, & aurium sonitus excitant, sanguinem e naribus profundunt, aut mulieri menstrua deturbant, idque praesertim, si ad Spinam ardor consequatur. *Coac* 167.

APOPLEXIAE, EPILEPSIAE, aut OBLIVIONIS.

Capitis dolores, & aurium tinnitus, citra febrem, &c. *Coac.* 161.

AVRIVM ABSCESSVS, vid. ABSCESSVS.

AVRIVM TVBERCVLA, vid. PAROTIDES.

AVSTER, vid. ANNI TEMPVS.

BALBI.

Balbi ab alvi profluvio maxime corripiuntur longo. *Aph.* VI. 32.

Mor-

Morbos habent balbus, aut calvus, aut gracili voce praeditus, aut hirsutus, fortiter atrabilarios. *Epid. II. V. 6.*

Balbi celeri lingua praediti, atrae bilis humori obnoxii, biliosique sunt. *Epid. II. VI. 3.*

BALNEVM.

EIVS VSVS.

Solvit oculorum dolores. *Aph. VI.* 31. *VII.* 46.

Aqua potabilis humectat, & frigefacit: salsum autem balneum calefacit ac siccat. *De Diaet. II. XXXV.* 2. 4.

Calida balnea ieiunum attenuant, ac frigefaciunt; a cibo accepto, eadem calefaciunt, ac humectant. *Ibid.* 6. 7. 10.

Balnea frigida, vacuo quidem corpore, praebent quamdam caliditatem: ubi autem cibus ingestus est, ab humido existente detrahunt, & frigidum existens siccitate replent. *Ibid.* 12. 13. 14. 15.

Conveniunt magis peripneumoniis, quam febribus ardentibus. *De Vict. acut. XXXII.* 7.

Dolorem lateris, & pectoris, ac dorsi, balneum lenit, & sputum maturum facit, ac educit; & facilem spirationem reddit, & lassitudinem eximit, articulos enim, & cutis superficiem mollit; sed & urinam ciet, & capitis gravitatem solvit, & nares humectat. *Ibid.* 8. *ad* 13.

EIVS NOXA.

Minime tempestivum est, eos lavare, quibus alvus in morbis liquidior est; itemque eos, quibus plus iusto adstricta est, & non prius subiit. Sed neque debilitatos lavare oportet, neque ex ciborum fastidio nauseantes, aut vomentes, neque eos, qui biliosum eructant, neque eos, quibus sanguis ex naribus erumpit, nisi minus, quam pro occasione convenit, fluat. *Ibid.* 17. *ad* 22.

BILIS.

Aestate & Autumno viget. *De Nat. hum. XIV.* 1. 5.

BILIS ATRA.

AD DIAGNOSIN.

Autumno & plurima, & fortissima est. *Ibid.* 13.

Quae cruda deorsum secedunt, ab atra sunt bile; si plura, maior, si pauciora, minor est morbus. *Aph. VII.* 68.

AD PROGNOSIN.

Atra bilis inter omnes corporis humores viscosissima est, & sedes diuturnissimas facit. *De Nat. hum. XXVIII.* 8. 9.

NOTAE LETHALES.

Morbis quibusvis incipientibus, si bilis atra vel sursum, vel deorsum prodierit, lethale. *Aph. IV.* 22.

Quibuscunque, ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, vel qualis sanguis niger prodierit, postridie moriuntur. *Aph. IV.* 23.

Dysenteria, si ab atra bile inceperit, lethale. *Aph. IV.* 24.

Febrium initio, si atra bilis sursum, aut deorsum prodeat, lethale est. *Coac.* 68.

Ex quacunque causa male affligente, quis atram bilem revomuerit, moritur qui vulnus habet. *De Loc. in hom. XLIV.* 5.

AD THERAPIAM.

Melancholicos uberius deorsum purgabis; eadem ratione contraria adhibens. *Aph. IV.* 9.

BVBONES.

In bubonibus febres omnes malae, praeter ephemeras. *Aph. IV.* 55.

CACHEXIA.

Aetas senilis ipsi obnoxia. *Aph. III.* 31.

CAECITAS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

In morbis melancholicis periculosi humorum decubitus. *Aph. VI. 56.*

Quibus cum lippitudine, capitis dolor accedit, & longo tempore perseverat, caecitatis metus impendet. *Coac. 223.*

Insanientibus accedens convulsio, oculorum aciem retundit. *Coac. 485.*

AD PROGNOSIN.

Caecitas febrem ardentem solvit. *De Iudicat. 69.*

AD THERAPIAM.

Si cui oculi, dum sani sunt, visum corrumpunt, huic sectione, & insuper excoriatione in Sinciput facta, os exscindere, & aquam auferre oportet, sicque curare, & ita sani fiunt. *De Visu IV. 5. 9.*

CALCVLVS.

AD DIAGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Derepente obortus renum dolor, cum urinae suppressione, calculorum, aut urinae crassae mictionem indicat. *Coac. 589.*

Tremores senioribus in febre contingentes, ubi apparent, calculi fortasse per urinas excluduntur. *Coac. 590.*

NOTAE CALCVLI VESICAE.

Quibus in urina, arenosa subsidunt, illis vesica calculo laborat. *Aph. IV. 79.*

Calculo laborantes, eo corporis habitu ac positu constituti, ut ne in urinariam fistulam calculus illabatur, prompte urinam reddunt. *Coac. 472.*

Mictio dolorifica, urina paulatim fluens, velut in stranguria, subcruenta, quandoque arenosa, lapides parvi aliquando eiecti. *De Morb. IV. XXIX. 2. & seqq.*

Vrinae interceptio, cum dolore vehementi. *De Aër. aq. & loc. XXIII.* 4.

Pueri calculosi fricant, ac trahunt pudenda. *Ibid.* 5.

Vrinam splendidissimam calculosi mingunt, ad similitudinem seri. *Ibid.* 8.

CALIDVM.

EIVS VSVS.

Calidum, utile ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullae. *Aph. V.* 18.

Calidum suppuratorium, non in omni ulcere, maximum signum ad securitatem, cutem emollit, attenuat, dolores sedat, rigores, convulsiones, tetanos mitigat, capitis vero gravitatem solvit: plurimum autem confert ossium fracturis, maxime denudatis: ex his quidem maxime, qui in capite ulcera habent, & quae a frigore moriuntur, aut ulcerantur: & herpetibus exedentibus, sedi, pudendo, utero, vesicae. His calidum quidem amicum, & decretorium: frigidum vero inimicum, & occidens. *Aph. V.* 22.

EIVS NOXA.

Calidum, eo frequenter utentibns, has affert noxas: carnis effeminationem; nervorum impotentiam, mentis torporem, sanguinis eruptiones, animi deliquia: Haec, quibus mors. *Aph. V.* 16.

CALOR CORPORIS.

AD DIAGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Quae crescunt, plurimum habent calidi innati. *Aph. I.* 14.

Senibus paucus calor est. *Aph. I.* 14.

Ventres hyeme, & vere, natura sunt calidissimi; & somni longissimi. *Aph. I.* 15.

Qua corporis parte inest calor, aut frigus, ibi morbus est. *Aph. IV.* 39.

Quibus plurimus calor est, maxima voce sunt praediti. *Epid. VI. IV.* 43.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Optimum est, totum corpus aequaliter calidum esse, ac molle. *Praenot.* 47. *Coac.* 492.

Frequens coloris cum calore mutatio, bono est. *Coac.* 125.

DETERIORIS NOTAE.

Ab ardoribus vehementibus convulsio, aut tetanus; malum. *Aph. VII.* 13.

AD THERAPIAM.

Multum & derepente calefacere; periculosum. *Aph. II.* 51.

CALVI.

Qui calvi sunt, his varices magni non fiunt. Quibus vero dum sunt calvi superveniunt varices, hi rursus capillati fiunt. *Aph. VI.* 34.

Eunuchi non calvi fiunt. *Aph. VI.* 28.

CANCER.

A ventris turbatione, aut a tussi; si cancer fiat, os amarescit. *II. VI.* 42.

Quibus occulti cancri fiunt, eos non curare melius est. Curati enim cito pereunt. Non curati vero longius tempus perdurant. *Aph. VI.* 38.

CAPILLI.

Eorum defluvium, cum sputo graviter olente; in tabe vexatis, lethale. *Aph. V.* 11.

Quibus tabe laborantibus capilli de capite defluunt, hi, alvi fluxu superveniente; moriuntur. *Aph. V.* 12. *Coac.* 436.

CAPVT.

Pituitae fons est. *De Morb. IV. II.* 7.

Caput & Lien maxime ſunt morbis obnoxia. *De Morb. IV. XIV.* 1.

CAPITIS DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus hyemale. *Aph. III.* 23.

Autumnus pluvioſus, & auſtrinus, poſt aeſtatem ſiccam & aquiloniam. *Aph III.* 13.

NOTAE ANTECEDENTES, vel COMITANTES.

Quibus in febre urinae conturbatae, qualis iumentorum, his capitis dolores aut adſunt, aut aderunt; *Aph. IV.* 70. *Coac.* 582.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

Caput laboranti, & circumcirca dolenti, pus, aut aqua, aut ſanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures, ſolvit morbum. *Aph. VI.* 10. *De Iudicat.* 81.

Ex capitis dolore liberat pus e naribus effluens, aut ſputa craſſa, & inodora; liberat quoque & ulcerum eruptio, interdum vero & ſomnus, ac alvi fluxus. *Coac.* 172.

Quibus capitis, & cervicis dolor, ac totius corporis potentia quaedam cum tremore adeſt, ab his ſanguinis eruptio liberat, fortaſſisque iſta tandem diſſolvuntur. Verum interim veſicae intercipiuntur; *Coac.* 170. *Praedict. I.* 152.

NOTAE PERICVLI.

Qui ſubinde inhorreſcunt, ex capite laborantes, tenuiter exſudantes, ii maligne habent. *Coac.* 12.

In angina absque ulla ſignificatione redundantes in caput dolores, cum febre periculum indicant. *Coac.* 372.

In utero geſtantibus capitis dolores, qui cum ſopore, gravitate, & convulſione fiunt, utplurimum malo ſunt. *Coac.* 517. 534.

NO-

NOTAE LETHALES.

Continens capitis dolor in febre acuta, cum gravibus aliis signis. *Coac.* 160. *Praenot.* 129.

Quae in capitis dolore ante faciem feruntur, frustra venari, & festucas legere, & floccos de vestibus evellere, & de pariete paleas detrahere. *Praenot.* 17.

Dolor capitis, cum virium exsolutionibus ex rigore, vel etiam cruentis urinis. *Coac.* 22. 28.

Dolor capitis, cum vocis defectionibus, & rigore subinde accedente. *Coac.* 255.

Qui ex rigore perfrigent, cum capitis ac cervicis dolore, vocis defectione, ac tenui sudore, ii, ubi vires resumpserint, ac sese velut recollegerint, moriuntur. *Coac.* 1.

Qui capite dolent, cum levi aliqua surditate, manuum tremore, cervicis dolore, nigricantes reddentes urinas, ac densas, ii, si nigra vomitione refuderint, perniciose habere suspicandi sunt. *Coac.* 176.

In his, qui inter initia sopore detenti, capitis, lumborum, cervicis, praecordiorum dolore, ac insomnia conflictantur, narium stillatio perniciem ostentat, tum vero vel maxime, si 4. die, aut inter initia contingat. Alvi quoque praerubra proluvies, malo est. *Coac.* 179.

Quibus sanis dolores derepente fiunt in capite, & statim muti fiunt, ac stertunt, in 7. diebus pereunt, nisi febris apprehenderit. *Aph. VI* 51.

NOTAE ALIAE MORBI FVTVRI.

ABSCESSVS ad AVRES.

Num dolor capitis, cum superiorum partium tenuibus sudoribus, rigore subinde novo, forte etiam alvi profluvio, aut aliquo sopore? *Coac.* 203.

Capitis dolor, cum praecordiorum contensione, sopore, & incontinenti corporis iactatione. *Coac.* 289.

ABSCESSVS GINGIVARVM, vel PAROTIDVM.

Moderatus capitis dolor, cum inexhausta siti, aut sudore

dore febrem non ſolvente, niſi alvus erumpat Coac. 173.

CAECITATIS.

Cum lippitudine dolor capitis accedens, & longo tempore perſeverans. *Coac.* 223.

CONVVLSIONIS.

Sudor tenuis per febres, cum capitis dolore, & alvo intercepta. *Coac* 154. 177.

Graves & acuti capitis dolores, cum torpore, & gravitatis ſenſu. *Coac.* 171. 174.

Faucium gracilium praefocantes dolores, ubi ex capitis dolore ortum duxerint. *Coac.* 262.

Quae ex lumbis in cervicem, & caput redundantia, levis ſiderationis more, reſolutionis ſenſum inducunt. *Coac.* 313.

Veſica intercepta, maximeque cum capitis dolore. *Coac.* 588.

CONVVLSIONIS OPISTHOTONI.

Capitis dolor, cum alto ſtupore, delirio, alvi interceptione, intuitu ferociente, vultuque florido. *Coac.* 162.

HAEMORRHAGIAE.

Capitis dolor, cum alto ſtupore, & oculis praerubris. *Coac.* 166.

HAEMORRHAGIAE NARIVM, aut PVRIS EFFLVXVS, aut ABSCESSVS ad inferiores partes.

Capitis dolor vehemens, & continens, cum febre, ſi abſque aliis lethalibus ſignis 20. dies ſuperet. *Praenot.* 129. *Coac.* 160.

Quoad dolor recens fuerit, eodem modo ſanguinis e naribus eruptionem, aut ſuppurationem exſpectare convenit, cum alias, tum ſi dolor circa tempora, & frontem adfuerit. *Praenot.* 129.

Sanguinis eruptio magis exſpectanda venit in iunioribus 35. annis: in ſenioribus vero ſuppuratio. *Praenot.* 129. *Coac.* 160.

IN-

INSANIAE.

Vomitus virulenti, & aeruginosi, in capitis doloribus, cum surditate, & insomnia. *Coac.* 169.

PHRENITIDIS.

In praecipiti morbo, capitis dolor, & praecordia revulsa, nisi sanguis ex naribus profluat. *Coac.* 119.

Qui inter initia sopore detenti, capitis, lumborum, cervicis, praecordiorum dolore, ac insomnia conflictantur, considerandi num phrenitici evadant? *Coac.* 179.

SIDERATIONIS, EPILEPSIAE, vel OBLIVIONIS.

Qui capitis doloribus, & aurium tinnitibus citra febrem, aut tenebricosa vertigine, & vocis tarditate, manuumque stupore tentantur. *Coac.* 161.

AD THERAPIAM.

Postica capitis parte dolenti, recta in fronte vena secta iuvat. *Aph.* V. 68.

Lac dare capite dolentibus, malum. *Aph.* V. 64.

In capitis dolore ex crapula, vini meraci cotyla potui danda. *Epid.* II.

Doloris in capite gratia sanguinem de venis detrahito; si vero non sedetur, & diuturnus sit, perure venas, & sanus evadet. *De Loc. in hom.* XLIX. 10. 11.

Si caput purgaveris, magis affliges. *Ibid.*

Capitis dolores ab utero, Castoreum solvit. *Epid.* VII.

CAPITIS GRAVITAS.

AD DIAGNOSIN.

CAUSAE ANTECEDENTES.

Austri. *Aph.* III. 5.

Quotidianae constitutiones austrinae. *Aph.* III. 17.

Suffitus aromatum. *Aph.* V. 28.

AD PROGNOSIN.

NOTAE HAEMORRHAGIAE FUTURAE.

Qui capite gravati, ad Sinciput dolorem sentiunt; pervigilio torquentur, iis sanguinis eruptionem fore

spes

ſpes eſt, tum vero praecipue, ſi aliquis contenſionis ſenſus ad cervicem pertingat. *Coac.* 168.

Qui ſurditate, cum capitis gravitate, ac praecordiorum conteſione vexantur, ſi oculorum acies perturbatur, in iis ſanguinis è naribus fluxum ſperare oportet. *Coac.* 195.

AD THERAPIAM.

Calido ſolvitur. *Aph. V.* 22.

CAPITIS VVLNVS.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

Optimum eſt, neque febrim, neque ſanguinis eruptionem, neque inflammationem, neque dolorem acceſſiſſe, aut in principio tantum ad breve tempus. *Praedict. II.* 81.

NOTAE PERICVLI.

A plaga in caput, ſtupor, aut delirium, malum. *Aph. VII.* 14.

Os inſigne denudatum, os medium deſidens, os diffiſſum. At ſi ulceris oſculum exiguum fuerit, oſſis vero fiſſura longe pertingat, maius periculum ſubeſt. *Praedict. II.* 79.

Omnia magis terrent, ubi iuxta Suturam contingunt, & in ſumma capitis parte exiſtunt. *Ibid.*

NOTAE LETHALES.

Ex capitis vulneribus lethaliſſima ſunt quae ad cerebrum pertingunt. *Praedict. II.* 79.

Febris in capitis vulnere, die 4. aut 7. aut 11. exorta, valde exitialis eſt. *Ibid.* 83.

CONF. CEREBRVM. CRANIVM.

CARTILAGO.

Diſſecta neque augetur, neque coaleſcit. *Aph. VI.* 19. *VII.* 28. *Coac.* 505.

CATARRHVS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas ſenilis. *Aph. III.* 31.
Tempus hiemale. *Aph. III.* 23.
Ver ſiccum & aquilonium, poſt hiemem auſtrinam, pluvioſam, & tranquillam. *Aph. III.* 12.

AD PROGNOSIN.

Deſtillationes in ventrem ſupernum, in 20. diebus ſuppurantur. *Aph. VII.* 38.
Raucedines & gravedines in valde ſenibus non coquuntur *Aph. II.* 40.
Senioribus accidunt catarrhi brevi perimentes, ſi hiems auſtrina, & pluvioſa, & tranquilla, ver autem ſiccum aquilonium fuerit. *Aph. III.* 12.

CATOCHVS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Quae convulſionis in morem affligunt. *Coac.* 104.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

Altus ſtupor in aegris laſſitudine conflictatis, & ſingultuoſis. *Coac.* 45.

NOTAE LETHALES.

Vocis defectiones, cum virium exſolutione, ac alto ſtupore. *Coac.* 250.

NOTAE ALIAE MORBI FVTVRI.

HAEMORRHAGIAE.

Altus ſtupor, cum dolore capitis, & oculis praerubris. *Coac.* 166.

OPISTHOTONI.

Dolor capitis, cum alto ſtupore, delirio, alvi interceptione, ferociente intuitu, & vultu florido. *Coac.* 162.

PAROTIDVM.

Quae convulſionis in morem affligunt, cum alto ſtupore. *Coac.* 352.

CE-

CEREBRVM.

Sedes & metropolis est frigidi, & glutinosi; *De Carn. IV. 11.*

CEREBRI CONCVSSIO.

Quibus cerebrum concussum fuerit ab aliqua causa, necesse est eos statim mutos fieri. *Aph. VII. 58.*

Quibus concussum fuerit cerebrum, vel ex plaga doluerit, aut aliquo casu, his illico vox deficit, neque vident, neque audiunt, fereque intereunt. *Coac. 499.*

CEREBRI VVLNVS.

Eius persectio lethalis. *Aph. VI. 18. Praedict. II. 79.*

Quibus perscissum fuerit cerebrum, his necesse est febrem, & bilis vomitum supervenire. *Aph. VI. 50.*

Ex cerebri vulnere, febris ut plurimum, ac bilis vomitus succedit, & corporis resolutio, iique perniciose habent. *Coac. 500.*

CEREBRI SPHACELVS.

Quibus cerebrum sphacelo fuerit affectum, in tribus diebus pereunt: si vero hos effugerint, sani fiunt. *Apb. VII. 50.*

Vbi cerebrum sideratione periclitatur, quidam 3. diebus, quidam etiam 7, moriuntur, quos si evaserint, servantur. Ex quorum numero pereunt, quibus per sectionem os disparatum fuerit. *Coac. 187.*

CONF. CAPVT, CRANIVM.

CERVIX. COLLVM.

Si a febre detento collum derepente inversum fuerit, & vix deglutire possit, tumore non existente, lethale. *Aph. IV. 35. VII. 58.*

Collum neque converti, neque devorare posse, plerumque lethales. *Coac. 278.*

CER-

CERVICIS DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

CAUSAE ANTECEDENTES.

Vehementes faucium dolores. *Coac.* 268.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Capitis & cervicis dolor, ac totius corporis impotentia quaedam, cum tremore, si sangninis eruptio accesserit. *Coac.* 170.

Cervicis dolor ex rigore, cum lassitudinis sensu febricitantibus superveniens, & narium haemorrhagiam praesagiens. *Coac.* 555.

DETERIORIS NOTAE.

Cervicis, cubitorumque dolores, convulsiones minantur; ex facie autem ad fauces ista procedunt. *Coac.* 270. *Praedict. I.* 114.

Cervicis dolor in omni quidem febre, malum: in his vero pessimum, in quibus etiam vehementis insaniae metus est. *Coac.* 173. *Praedict. I.* 73.

LETHALIS.

Cervix dura, cum dolore, maxillarum connexione, iugularium venarum palpitatione vehementi, ac tendinum distensione. *Coac.* 261.

CERVICIS VERTEBRA.

Quibus spiritus retrahitur, & vox strangulabunda est, iis cervicis vertebra intro desidet, & ad exitum velut ex convulsione quadam, respiratio ducitur. *Coac.* 266.

CHOLERA.

AD DIAGNOSIN.

CAUSAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph. III.* 30.

Tempus aestivum. *Epid. VII. XL.* 19.

Car-

Carnis esus, maxime suillae crudioris; sepiae, locustae, gammari; ciceres, ervum; olera, porrum, cepae, lactucae coctae, brassica, rumices crudiores; poma, cucumeres, pepones; polenta recens, placentae, ac dulciaria, & mellita liba; ebrietas ex vino odorato veteri; insolatio. *Epid. VII. XL. 8. & seqq.*

Ad PROGNOSIN.

Febres lipyriae, nonnisi per choleram effusa bile, solvuntur. *Coac. 120.*

AD THERAPIAM.

Cholerae medentur, si dolor adsit, anodyna; ventri autem superiori & inferiori potiones humectantes, & balnea calida, caput mollientia, capite excepto. *De Affect. XXVIII. 8. ad 11.*

CIBVS.

EIVS COPIA.

Quae crescunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: sin minus, corpus consumitur. Senibus autem paucus calor: propterea paucis fomitibus indigent, a multis enim extinguitur. *Aph. I. 14.*

Vere & hieme alimenta plura exhibenda. *Aph. I. 15.*

Vbi cibus praeter naturam copiosior ingressus fuerit, id morbum facit. Ostendit autem sanatio. *Aph. II. 17.*

EIVS QVALITAS.

Cibi ad sanitatem optimi, qui parce ingesti, fami & siti sufficiunt, quique diu in corpore retinentur, & moderate per alvum secedunt. *De Affect. XLIV. 23.*

Alimentum quod aegre coquitur, aegre dissipatur: quod facile adponitur, facile consumitur. *De Aliment. XI. 4.*

Eorum, quae confertim & celeriter nutriunt, celeres etiam fiunt egestiones. *Aph. II. 18.*

Imbecilles cibi vitam breviorem reddunt. *Epid. II. 5.*

Quae alimenta humida & frigida, insipida, odoreque gravi sunt, per alvum magis, quam per urinas secedunt. *De Diaet. II.*

Quae

Quae acerba & auſtera ſunt, alvum ſiſtunt. *Ibid.*

Acria, & odorata, urinam cient. *Ibid.*

Pinguia, & dulcia, humiditatem, & pituitam exhibent. *De Affect.* XLIX. 8

Salſa alvum, & urinam movent. *Ibid.* 7.

Acida extenuant, & morſum faciunt. *Ibid.* 6.

Pinguia, caſeoſa, mellita, & ex ſeſamo parata, ructum acidum plerumque creant, & choleram, & tormina, flatumque, & repletionem. *De Affect.* XLIV. 29.

Panis, & farina integra ſiccat, alvumque ſubducit; purus vero magis quidem nutrit, ſed minus per alvum ſecedit. *De Diaet.* II.

EIVS VSVS.

Impura corpora quo magis nutriveris, eo magis laedes. *Aph.* II. 10.

Paulo deterior & potus, & cibus, iucundior autem, eligendus potius, quam meliores quidem, ſed ingratiores. *Aph.* II. 38.

Quoscunque cibos, aut obſonia, aut potus aegroti concupiſcunt, exhibeto, ſi non corpori damnum inde acceſſurum eſt. *De Affect.* XLII. 1. 2.

Si quis febricitanti cibum det, convaleſcenti quidem, robur: aegrotanti vero, morbus fit. *Aph.* VII. 65.

Eſculenta & potulenta, alia aliorum ſunt medicamenta. *De Morb.* IV.

A cibis & potibus licet convenientibus, intempeſtive, aut immodice ſumptis, & morbi, & hinc mortes fiunt. *De Affect.* XLV. 1. 2. 3.

Cibus ſemel in die ſumptus, extenuat & ſiccat, alvumque ſiſtit. *De Diaet.* I.

Cibi aut potus valentiores, eos conturbant, qui ſunt ventriculo calido. *Epid.* VI. V.

Qui per ſanitatem pravo utuntur cibo, cito exſolvuntur. *Aph.* II. 36.

Qui cibi flatum, vel ardorem, morſum, repletionem, aut tormina movent, ab his liberat vinum meracum ſuperingeſtum. *De Affect.* LII. 1. 2. 3.

CONF. DIAETA.

CIBI FASTIDIVM.

AD DIAGNOSIN.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente, cibi autem fastidia ipsi accidant, hanc in utero gerere putato. *Aph. V* 61.

Quos stomachi fastidia vexant, cum oris ventriculi morsu, & crebra sputatione, iis vomitio adfutura est. *Coac.* 142.

AD PROGNOSIN.

Quibus cum febre, lateris dolore accedente, alvus aquosa multa bile permixta transmittens, allevationem affert, deinde vero cibos aversantur, & sudoribus diffluunt, cum bene colorata facie, ac humescente alvo, & dolor aliquis oris ventriculi succedit, ii diutius morbum trahentes, pulmonum vitiis laborantium more intereunt. *Coac.* 67.

CONF. ANOREXIA.

CLAVDICATIO.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Nervi crassi vulnerati, praecipue si obliquum vulnus fuerit, ac in musculorum capitibus, praesertim femorum. *Coac.* 508.

Morbus coxendicum. *De Morb. I. III.* 16.

Diuturnus coxendicis morbus, & femoris dislocatio, nisi usti fuerint. *Aph. VI.* 60.

Abscessus in cruribus, in gravibus peripneumoniis, si neque sputum pro ratione excernitur, neque in urina bonum apparet sedimentum. *Coac.* 396.

COCTA.

Concocta purgare, & movere oportet, non cruda: neque in principiis, nisi turgeant. Plurima vero non turgent. *Aph. I.* 22.

COL.

COLLIQVATIO.

Eam denunciat urina, quae araneorum telis ſimilia quaedam habet. *Coac.* 582.

Febricitantium corpus magis quam pro ratione colliqueſieri, infirmitatem indicat. *Aph. II.* 28.

Quaecunque in utero gerentes a febribus corripiuntur, & vehementer attenuantur, absque manifeſta occaſione, difficulter & periculoſe pariunt, aut abortientes periclitantur. *Aph. V.* 55.

COLLVM, vid. CERVIX.

COLOR.

AD DIAGNOSIN.

Quibus iuvenibus diu coloris foedatio ineſt, non tamen continenter adinſtar regii morbi, ii & viri, & feminae, capitis dolore conflictantur, & lapides & terram edunt, aut haemorrhoidas patiuntur. *Praedict. II.* 17.

Colores cum virore pallidi, diuturni, absque vehementi regio morbo, cetera quidem eadem facere ſolent: verum praecordiorum dolores eos magis vexant, quam ceteros, neque tamen lapides, aut terram edunt. *Praedict. II.* 158.

Qui diu pallidi faciem habent tumidam, eos certum eſt, aut capitis, aut viſcerum dolore laborare, aut ſedem internam quodammodo male affectam eſſe. *Praedict. II.* 159.

AD PROGNOSIN.

Frequens coloris cum calore mutatio, bona. *Coac.* 125.

In his, qui ad ſeptimum progreſſi ſunt, cum coloris foedatione, inter ambulandum ſpiratio coacervata, & terrae appetentia, ſanguinis corruptionem, ac virium exſolutionem denunciat. *Coac.* 339.

CONCEPTIO.

MVLIERES ad CONCIPIENDVM APTIORES.

Parvae, tenues, albae, nigrae. *Praedict. II.* 130.
Cum venis conspicuis, mammis tumidis, ac magnis. *Ibid.*
Recte menstruatae, quovis mense, iisdem diebus, copia satis magna, aequali, boni coloris. *Ibid.* 131.
Vtero sano, sicco, & molli, neque contracto, neque proclivi, neque ore distorto, aut compresso, aut diducto. *Ibid.* 132.
Vtero nec frigido ac denso, nec praehumido, nec sicco magis, & adurente, sed ex utrisque bene temperato. *Aph. V.* 62.
His, quae non pariunt, ad conceptum sanguinis vomitus prodest. *Coac.* 551.

TEMPVS CONCIPIENDI OPPORTVNVM.

Vernale. *De Superfet. XVIII.* 2.
Post menstruam purgationem. *De Nat. puer. XXXIX.* 6.

EXPERIMENTVM a SVFFITV.

Mulier si in ventre non concipiat, velis autem scire, an conceptura sit, vestibus circumtectam subter suffito. Et siquidem procedere tibi videatur odor per corpus ad nares, & ad os, scito, hanc non propter se ipsam infecundam esse. *Aph. V.* 59.

MVLIERES ad CONCIPIENDVM minus aptae.

Praeter naturam crassae, quibus omentum os uteri comprimit. *Aph. V.* 46.
Menstrua purgatione carentes. *De Nat. puer. VII.* 2.
Pallidae, neque febre, neque visceribus in causa existentibus, caput dolentes, malae menstruatae. *Praedict. II.* 133.
Bene coloratae, carnosae, & pingues, doloris expertes, cum venis latentibus, & menstruis aut deficientibus, aut paucis, & sinceris. *Praedict. II.* 134.
Vtero frigido ac denso nimis, vel praehumido, vel sicco magis, & adurente. *Aph. II.* 62.
Vtero contracto, vel proclivi, ore distorto, aut compresso, aut diducto. *Praedict. II.* 132.

Loco uteri ulcerato, dein a sanatione leviore, ac duriore facto. *Praedict. II.* 137.

NOTAE CONCEPTIONIS VERAE.

Retentio menstruorum, cum cibi fastidio, neque horrore, neque febre superveniente. *Aph. V.* 61.

Os uteri clausum. *Aph. V.* 51.

Lac in mammis. *Praedict. II.* 143.

Tormina circa ventrem, post aquam mulsam, mulieri dormiturae (incoenatae) propinatam. *Aph. V.* 41.

A pessis minus validis, dolores ad articulos, stridor dentium, tensio membrorum, oscitatio. *De Superf. IX.* 3.

NOTAE CONCEPTIONIS non factae.

Tormina circa ventrem non secuta, post aquam mulsam, mulieri dormiturae (incoenatae) datam. *Aph. V.* 41.

Mensium defectus, cum ventris turgescentia, ac motu, dolore capitis, cervicis, & praecordiorum, lacte autem in mammis nullo, vel modico, & aquoso, tandem ventris mole evanescente. *Praedict. II.* 143.

NOTAE MASCVLI, vel FEMELLAE.

Mulier praegnans, si quidem marem gestat, bene colorata est: si vero feminam, male colorata. *Aph. V.* 42.

Fetus, mares quidem in dextris, feminae vero in sinistris magis. *Aph. V.* 48.

Si ulcus uteri sinistra tantum occupet, mulierque concipiat, aut ubi adhuc ulcus habet, aut postea ubi convaluit, eam marem potius enixuram, spes est. Sed si ulcus dextra teneat, & mulier concipiat, fetus femineus magis expectandus est. *Praedict. II.* 138. 139.

CONFLVXVS.

Confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia. *De Alim. IV.* 24.

CONGRVVS MORBVS.

In morbis minus periclitantur, quorum naturae, & ae-

tati, & habitui, & tempori magis similis fuerit morbus, quam in quibus horum nulli fuerit similis; *Aph. II.* 34. *VIII.* 1.

CONSVETVDO.

Consuetudini aliquid concedendum. *Aph. I.* 17.

A multo tempore consueta, etiamsi fuerint deteriora, insuetis minus turbare solent. Oportet igitur etiam ad insolita mutare. *Aph. II.* 50.

Consueti solitos labores ferre, etiamsi fuerint debiles, aut senes, insuetis, robustis licet, & iuvenibus, facilius ferunt. *Aph. II* 49.

Praeter consuetudinem aliquid facere, pravum, & delirio proximum. *Coac.* 47.

CONTRARIA.

Contraria contrariorum sunt medicamina. *De Flat. II.* 15.

A repletione quicunque fiunt morbi, evacuatio sanat; Et quicunque ab evacuatione, repletio: Et aliorum contrarietas sanat. *Aph. II.* 22. *De Nat. hum. XVII.* 11. *& seqq.*

Medicum scire oportet, opponere se contrarium instantibus, & morbis, & naturis, & temporibus, & aetatibus, & distendentia solvere, & soluta distendere. *De Nat. hum. XVIII.* 1. *& seqq.*

CONVVLSIO.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas tenella infantum usque ad 7. annum. *Praenot.* 15.

Tempus dentitionis. *Aph. III.* 25.

Frigidum. *Aph. V.* 17. 20.

Frigus partium posteriorum. *Coac.* 7.

Repletio, aut evacuatio. *Aph. VI.* 39.

Dolores faucium vehementes. *Coac.* 268.

Fau-

Paucium gracilium praefocantes dolores, ex capitis dolore orti. *Coac.* 262.

Largae sanguinis ex naribus eruptiones, per vim suppressae. *Coac.* 336.

Phrenitis. *Coac* 96. *Praenot.* 152.

Ossium ad tempora effracturae. *Coac.* 188.

Quibus tempora secantur, iis ex adversa sectionis parte convulsio contingit. *Coac.* 498.

In pueris, si febris acuta fuerit, venter non deiiciat, si vigilent; perterreantur; plorent assidue, & color immutetur, & ex viridi pallidus, aut lividus, aut ruber contrahatur. *Praenot.* 151. *Coac.* 109.

Elleborus sano corpore adhibitus. *Aph.* IV. 16.

NOTA PRIVATIVA.

Quibus tumores in ulceribus apparent, non valde convelluntur; neque insaniunt. *Aph.* V. 65.

NOTAE ANTECEDENTES.

Humorum decubitus in morbis melancholicis. *Aphor.* VI. 56.

Capitis dolor, cum tenui sudore, & alvo intercepta. *Coac.* 177.

Graves & acuti capitis dolores, cum torpore, & gravitatis sensu. *Coac.* 171. 174.

Ex praegresso dolore, rubores ad aures subnascentes, in febribus. *Coac.* 200.

In tremulis, & anxietate vexatis, parvi ad aures tumores excitati; si alvus male affecta sit. *Coac.* 353.

Alvus circumtensa, ad necessitatem liquida demittens, celeriter intumescens. *Praedict.* I. 99.

Ex perfrigeratione metus, ac animi abiectio praeter occasionem. *Coac.* 4.

Desipientiae cum sopore. *Coac.* 84.

Mentis emotiones sensim feroces, tandem ferinae. *Coac.* 85.

Turbulentae cum confidentia expergefactiones, quae mentem emovent, praesertim si cum sudore contingant. *Coac.* 83.

Crebrae in phreniticis permutationes. *Coac.* 101.

In praecipitibus malis, corporis motio, iactatio, ac turbulentus somnus. *Coac.* 82.

Cervicis ac dorsi perfrigerationes, praesertim quae totum corpus pervadunt, in quibus mictiones membranularum speciem referunt. *Coac.* 83.

Lumborum & oris ventriculi dolor, cum forti screatione. *Coac* 320.

Praecordia non mollia, & facies bene habita. *Coac.* 296.

Si venae temporum pulsent in febribus, cum facie bene habita; absque praecordiorum mollitie. *Coac.* 128.

Temerarii ventris tumores in morbis longis. *Coac.* 86.

Tumores ulcerum in postica parte; repente disparentes. *Aph.* V. 65.

Quae ex lumbis in cervicem, & caput redundantia, levis sideratioñis more; resolutionis sensum inducunt. *Coac.* 313.

Post tremores; ac sudores; somnus multus, frontis gravitates, ac mictio molesta. *Coac.* 348.

Qui subinde rigore prehenduntur, & sub noctem aliquanto gravius habent, pervigiles, in somnis nugantes, aut delirantes, interdum sese lotio perfundentes. *Praedict.* I. 101.

Vesica intercepta, maxime cum capitis dolore. *Coac.* 588.

Vox acuta, eiulabunda; & oculorum hebetudo. *Coac.* 257.

NOTAE COMITANTES.

Spiratio magna, & ex longis intervallis. *Coac* 260.

In febribus spiritus offendens, malum. Convulsionem enim significat. *Aph.* IV. 68.

Vrina membranosa. *Coac.* 582. 584.

AD PROGNOSIN:

MELIORIS NOTAE, & SPEI.

Febrem convulsioni supervenire melius est, quam convulsionem febri. *Aph.* II. 26.

In uteri strangulatu non antea expertae convulsiones, faciles sunt. *Coac.* 349.

Con-

Convulsiones in hystericis, sine febre. *Praedict. I.* 119.

Convulsio in febre suborta, eademque die desinens. *Coac.* 156.

Convulsio in febre suborta, febrim 1. 2. vel 3. die finiens. *Coac.* 157.

A convulsione, aut tetano detento, febris superveniens solvit morbum. *Aph. IV.* 57. *Coac.* 354. 358.

A quartanis correpti, a convulsione non admodum corripiuntur. Si vero prius corripiantur, & postea quartana supervenerit, liberantur. *Aph. V* 70.

Convulsionem muliebria, si circa initia appareant, neque febris accesserit, solvunt. *Coac.* 531.

DETERIORIS NOTAE, & maioris PERICULI.

Convulsio febri succedens, periculum denunciat, minimum vero pueris. *Coac.* 356. 357.

Convulsio horam, qua prehendit, superans, nec desinens. *Coac.* 157.

In febre convulsio, manuumque ac pedum dolores, malignum quiddam praenunciant. *Coac.* 30.

In febribus acutis, convulsiones, & circa viscera dolores vehementes, malum. *Aph. IV.* 66.

Si fluxui muliebri convulsio, & animi deliquium superveniat, malum. *Aph. V.* 56.

Quibus dum convelluntur, oculi fixi, & immoti splendent. *Praedict. I.* 124. *Coac.* 351.

Loquendi impotentia in convulsionibus multum perseverans, malo est. *Coac.* 359.

Ex tremoribus, quae convulsiones fiunt, cum sudoribus, recidivas minantur. *Coac.* 348.

Ab ardoribus vehementibus convulsio, aut tetanus, malum. *Aph. VII.* 13.

Convulsio a sanguine multo effuso. *Aph. V.* 3. *VII.* 9.

Ab Ileo. *Aph. VII.* 10.

A Vigilia. *Aph. VII* 18.

A purgatione immodica. *Aph. V.* 4. *Coac.* 565.

A vomitionibus sinceris. *Coac.* 565.

LETHALIS.

Convulſio ex ebrietate, cum aphonia improviſa, niſi febris corripuerit, ant ſoluta crapula homo ad vocem redierit. *Aph. V. 5.*

Convulſio ex Elleboro, lethale. *Aph. V. 1. Coac. 567.*

A purgantis potione convulſio, lethale. *Aph. VII. 25.*

Vulneri convulſio ſuperveniens, lethale. *Aph. V. 2. Coac. 355. 506.*

Convulſiones cum febre acuta, perniciem denunciant. *Coac. 269.*

Cum rigore, & febre, inordinate ingraveſcentibus. *Coac. 26.*

ALIVM MORBVM PORTENDENS.

Inſanientibus accedens convulſio, oculorum aciem retundit. *Coac. 485.*

Loquendi impotentia in convulſionibus, parum durans, linguae; aut brachii; aut eorum, quae in dextra parte ſunt, ſiderationem denunciat. *Coac. 359.*

AD THERAPIAM.

Calidum convulſiones mitigat. *Aph. V. 22.*

Item frigida multa affuſa. *Aph. V. 25.*

CONVVLSIO TETANVS DICTA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Frigidum. *Aph. V. 17.*

Frigidum ulceribus admotum. *Aph. V. 20.*

Tumores ulcerum in poſtica parte, repente diſparentes. *Aph. V. 65.*

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Convulſio, vel tetanus, a febre ſuperveniente ſanabilis. *Aph. IV. 57. Coac. 354.*

DETERIORIS NOTAE.

Ab ardoribus vehementibus convulſio, vel tetanus, malum. *Aph. VII. 13.*

LE-

LETHALIS.

Qui a tetano corripiuntur in quatuor diebus pereunt; si vero hos effugerint, sani fiunt. *Aph. V. 6.*

In tetanis, & opisthotonis, dissolutae maxillae mortem afferunt. *Coac. 361.*

AD THERAPIAM.

Est vero, ubi in tetano sine ulcere, iuveni bene carnoso, aestate media, frigidae multae affusio, caloris revocationem facit; calor autem haec solvit. *Aph. V. 21.*

CONVVLSIO OPISTHOTONOS DICTA.

AD DIAGNOSIN.

Ex capite dolentes, & alto stupore detenti, ac delirantes, cum alvi interceptione, & ferociente intuitu, floridi, opisthotono tentantur. *Praedict. I. 88.*

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Febres cum posteriorum partium distentione, urinae genitale semen referentes solvunt *Coac. 362.*

NOTAE LETHALES.

Maxillae resolutae. *Coac. 361.*

Sudare, & corpus dissolvi, ac per nares removere, aut ubi per initia vox defecta fuit, clamare, aut nugari. *Coac. 361.*

COR.

Eius vulnus lethale. *Aph. VI. 18. De Morb. I. III. 4.*

CORPVS.

Corporis nullum est principium, sed omnes partes aeque principium, & finis sunt. *De Loc. in hom. I. 1.*

Corpus totum inspirabile, & exspirabile est. *Epid. VI.*

CORYZA, vid. GRAVEDO.

COXAE DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas a 40. ad 60. annos. *Praedict. II.* 176.

Tempus autumnale. *Aph. III.* 22.

Lumborum frigiditas, & gravitas, cum alvi suppressione, tempore hiemali. *Coac.* 487.

Febres longae & vehementes quaedam, ad solutionem spectantes. *Coac.* 294.

NOTAE ANTECEDENTES.

Praecordiorum dolores in febre, aegro fari nequeunte, si absque sudore solvantur. *Coac.* 297. *Praedict. I.* 90.

Mammae ex gracilibus rursus durae, in gravidis. *Aph. V.* 53.

Surditas in morbis longis. *Coac.* 190.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Dolor ad coxas, supernarum partium dolorem solvens. *Epid. II. VI.* 47.

Febrim ardentem solvens. *De Iudicat. XI.* 2.

Tussim siccam solvens. *Epid. II. V.* 23.

DETERIORIS NOTAE.

Dolor ischiadicus coxam dislocans, & si haec rursus incidat, mucum ingenerans. *Aph. VI.* 59.

Dolor coxendicis diuturnus coxam dislocans, inde cruris tabem, & claudicationem inducens, nisi urantur. *Aph. VI.* 60.

Dolores ad coxendices, cum febre ardente, & alvo affatim erumpente, post dolores in febre ad praecordia assilientes, sine sudore solutos. *Coac.* 299. *Praedict. I.* 90.

AD THERAPIAM.

In Ischiade confert, mollire per balnea, & tepefactoria, ac fomenta, & alvum subducere; ubi vero quie-

quieverit dolor, deorsum purgare, & postea lac asininum coctum bibere. *De Affect. XXX. 4. ad 7.*

CRANII FRACTVRA.

AD DIAGNOSIN,

VARIAE NOTAE.

Fracturae circa Suturas, cognitu difficillimae. *Coac. 501.*

Ossa capitis fissa 7. die, partim 14. partim etiam alias, sui significationem edunt. *Coac. 501.*

NOTAE COMITANTES.

Ab osse perscisso delirium, si in vacuum penetraverit. *Aph. VII. 24.*

Strepitus ossis in loco laesionis, dum aliquid inter dentes manducatur. *Coac. 501.*

Caro ab osse abscedens, aut os livescens, aut dolores ex saniei influxu oborti. *Coac. 501.*

AD PROGNOSIN.

Si os frangitur alia capitis parte, quam qua vulneratum, & nudatum est, huic malo nullis remediis subvenies. *De Cap. Vuln. IX. 1.*

Quibus ex posteriore parte ossibus fractis, capitis dolor inest, vehemens & crassa e naribus fluxio, malo est. *Coac. 188.*

CRISIS. IVDICATIO.

AD DIAGNOSIN,

NOTAE ANTECEDENTES.

Quibus iudicatio contingit, iis nox accessionem praecedens gravis, succedens vero plerumque levior esse solet. *Aph. II. 13.*

Crassiorem fieri deiectionem oportet, morbo ad iudicationem procedente. *Praenot. 61.*

Quibus 7. die crisis contingit, iis urina rubram die 4. nubeculam habet, aliaque pro ratione. *Aph. IV. 71.*

Oculorum claritas, ac eorum album ex nigro, aut livido clarum fieri, ad iudicationem confert. *Coac. 217.*

NO-

NOTAE IVDICATIONIS CITAE, vel TARDAE.

Oculi quo celerius clarescunt, eo celeriorem iudicationem: at tardius, tardiorem significant. *Coac.* 217.

Quibus in urinis cito aliquid subsidet, hi brevi iudicantur. *Coac.* 598.

NOTAE LONGITVDINIS.

Iudicationis cessationes in febribus. *Coac.* 74.

Abscessus in febribus, qui non solvuntur ad primas indicationes. *Aph. IV.* 51.

AD PROGNOSIN.

NOTAE CRISIS SVSPECTAE.

Rigor, qui cum iudicatione fit. *Coac.* 321.

His, quae non secundum rationem levant, credere non oportet: neque timere valde, quae praeter rationem fiunt prava. *Aph. II.* 27.

NOTAE RECIDIVAE.

Quae per morbos post crisim relinquuntur. *Aph. II.* 12.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris dimiserit, reverti solet. *Aph. IV.* 61.

AD THERAPIAM.

Quae iudicantur, & iudicata sunt perfecte, neque movere oportet, neque innovare, sive purgantibus, sive aliis irritamentis, sed sinere. *Aph. I.* 20.

CRITICI DIES.

Febres iudicantur die 4. 7. 11. 14. 17. 21. Nonnullae etiam ex acutis, die 30. 40. & 60. *De Dieb. iud.* 15.

Septenariorum dies 4. est index, alterius septimanae dies 11. tertiae dies 17. *Aph. II.* 24.

Sudores febricitantibus boni sunt, & iudicatorii, qui coeperint die 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. 34. *Aph. IV.* 36.

Quibus ex naribus fluxiones die 7. 9. aut 14. contingunt, utplurimum a febribus vindicant. *Coac.* 152.

Similiter alvi fluxus biliosus, & dysentericus, ac genuum & coxendicum dolor, urina sub iudicationem concocta, & in muliere mensium profluvium. *Coac.* 152.

CRVRVM ABSCESSVS, vid. ABSCESSVS ad CRVRA.

CRVRVM DOLOR.

Dolor fortis ad crura, solvit tussim siccam. *Epid. II. V.* 23.

Quos derepente, absque febre, praecordiorum, aut oris ventriculi dolor, aut crurum, & inferiorum partium affligit, alvusque intumescit, venaesectio, aut alvi fluxus solutionem adfert, *Coac.* 294.

CVBITVS.

Cubiti, & colli dolores, convulsorii sunt, *Praedict. I.* 114. *Coac.* 270.

CVTIS.

AD DIAGNOSIN.

Cutis viris rara est. Hoc quidem pilus indicat. *Aph. V.* 69.

Cutis corporis squalida, & plus aequo sicca, male affectae alvi index est. In his praerubrae carunculae purulentae fere ex alvo prodeunt. *Coac.* 625.

Cutis raritas, ventris densitas: cutis constrictio, carnium incrementum. *Epid. VI. III.* 1. 2.

AD PROGNOSIN.

Quibus cutis obtenditur arida, ac dura, sine sudore moriuntur. Quibus vero laxa, ac rara, cum sudore moriuntur. *Aph. V.* 71.

Cutis circa frontem dura, intenta, & resiccata, cum aliis notis faciei Hippocraticae, lethalis. *Praenot.* 2. *Coac.* 212.

DEAMBVLATIO, vid. MOTVS.

DECVBITVS.

AD DIAGNOSIN.

In ventrem iacere, ei qui per bonam valetudinem ita dormire minime consuevit, delirium, aut partium circa ventrem dolorem indicat. *Praenot.* 13. *Coac.* 497.

AD

AD PROGNOSIN.

BONAE NOTAE.

Decubitus optimus, qui bene valentium similis est. *Praenot.* 8. *Coac.* 497.

Decubitus in latus dextrum, aut sinistrum, manibus, & cervice, & cruribus paulum reductis, totoque corpore molliter posito; hic enim fere sani iacentis est habitus. *Praenot.* 8.

Aegrum facile converti oportet, & cum sese attollit, levem esse. *Praenot.* 48.

DETERIORIS NOTAE.

Supinum iacere, manibus, cervice, & cruribus porrectis. *Praenot.* 9 *Coac.* 497.

Pronum fieri, & subinde deorsum ad pedes prolabi. *Praenot.* 10. *Coac.* 497.

Cum reliquo corpore, tum manibus, & pedibus, gravem esse. *Praenot.* 49.

Pedes nudos, neque admodum calidos habere, & manus, & cervicem, & crura inaequaliter dispersa, & nuda. *Praenot.* 11. *Coac.* 497.

Aegrum residere velle in ipso morbi impetu, pravum in omnibus morbis acutis, pessimum in peripneumonicis. *Praenot.* 14. *Coac.* 497.

LETHALIS.

Lethale quoque, & hianti ore assidue dormire; & ubi supinus iacet, cruribus valde contortis, & implexis. *Praenot.* 12. *Coac.* 497.

DEGLVTITIO.

Potum aegre deglutienti, cum spiritu tussiculoso, eructatio quodammodo revulsa, intro convoluta, ventris dolorem denunciat. *Coac.* 632.

Si a febre detento collum derepente inversum fuerit, & vix deglutire possit, tumore non existente, lethale. *Aph.* IV. 35. VII. 58. *Coac.* 278.

DEIECTIO, vid. ALVI DEIECTIO.

DE-

DELIRIVM.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Ab osse perscisso delirium, si in vacuum penetraverit. *Aph. VII.* 24.

NOTAE ANTECEDENTES.

Aurium sonitus, cum visus hebetudine, & gravitatis sensu ad nares. *Coac.* 194.

Dolores circa umbilicum palpitantes; & sub iudicationem plurimus & creber flatus; nec non dolores ad suram. *Praedict. I.* 36.

Dolor capitis, cum siti, levi pervigilio, obscura loquela, ad motum impotentia, humecta alvo, & lassitudine. *Coac.* 175.

In ventrem iacere, praeter consuetudinem. *Praenot.* 13. *Coac.* 497.

Praeter consuetudinem aliquid facere, ut v. g. aliquid propensius curare, & magno studio eniti, prius non consuetum, aut contra, pravum, & delirio proximum. *Coac.* 47.

Lumborum dolor in caput recursans, cum manuum torpore, & oris ventriculi dolore, vel aurium sonitu. *Coac.* 308.

Lumborum tensio ex mensium copia; tum varie prodeuntia, glutinosa, graveolentia strangulatum inducentia, suppurationem indicantia. *Coac.* 324.

Num in vocis defectione, respiratio suffocativa, conspicue elata, & visui exposita? *Coac.* 252.

Somnus diu noctuque deficiens. *Coac.* 497.

In turbatis vigilantibus, urinae decolores, cum nigris sublimamentis, & tenuibus sudoribus *Praedict. I.* 4.

NOTAE COMITANTES.

Quicunque aliqua corporis parte dolentes, dolorem fere non sentiunt, his mens aegrotat. *Aph. II.* 6.

Leves, & per intervalla lateris dolores, post biliosas,

& ſinceras deiectiones, cum ſpumoſa efflorefcentia. *Praedict.* I. 22.

Flatus cum ſtrepitu emiſſus, niſi aeger ſtudio id fecerit. *Coac.* 495.

Lingua tremula. *Coac.* 233.

Oculi intenſe ſplendentes in convulſionibus. *Coac.* 351.

Pulſus in praecordiis. *Praenot.* 31.

Inſpiratio magna, & rara. *Praenot.* 19.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Deliria, cum riſu quidem accidentia, ſecuriora: cum ſtudio vero, periculoſiora. *Aph. VI.* 53

Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum. *Aph. II.* 2.

Delirium ſolvens tremores, in febre ardente. *Aph. VI.* 26.

DETERIORIS NOTAE.

Deliria cum ſtudio. *Aph. VI.* 53.

Mentis emotio, cum ſurarum doloribus, praecipue ſi ſublime quid in urina innatet. *Coac.* 30.

Deſipientiae cum voce ſtridula, linguae revulſione, ac ipſi quoque tremuli, vehementem mentis alienationem ſignificant. In his durities & aſperitas perniciem minatur. *Coac.* 99.

A multo potu rigor, & delirium, malum. *Aph. VII.* 7

Delirium à plaga in caput. *Aph. VII.* 14.

Ab Ileo. *Aph VII* 10.

A ſanguinis fluxu. *Aph. VII.* 9.

A vigilia. *Aph VII.* 18.

LETHALE.

Deſipientiae, quae circa neceſſaria fiunt, peſſimae: & quae ex his ingraveſcunt, exitium portendunt. *Coac.* 98.

Quae caput quodammodo concutiunt, cum intenſa oculorum rubedine, ac manifeſto delirio, perniciem denunciant. Neque tamen hoc ad mortem comitatur, verum circa aurem tumorem excitat. *Coac.* 163.

De-

Desipientiae, quae iam admodum fractis, & debilitatis viribus succedunt, pessimae. *Coac.* 100. *Praedict. I.* 8.

Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium fit, lethale. *Aph. IV.* 50.

Delirium circa febrium initia obortum, nisi aut prorsus optimum aliquod signum supervenit, aut corporis virtus subsit. *Praedict. II.* 85.

Ad dentis siderationem vehemens accedens febris cum delirio, mortem minatur. *Coac.* 237.

Lumborum dolores ad os ventriculi recursantes, cum febre, horrore, si tenuia, & aquosa, vomitione reiecerint, delirarint, voce defecti sint, ii post nigrorum vomitionem moriuntur. *Coac.* 316.

ALIVM MORBVM PORTENDENS.

CONVVLSIONES.

Desipientiae cum sopore, convulsiones minantur. *Coac.* 84.

Qui subinde rigore prehenduntur, & sub noctem aliquanto gravius habent, pervigiles, in somnis nugantes, ac delirantes, interdum se lotio perfundentes, ii in convulsionem tendunt. *Coac.* 20.

OPISTHOTONVM.

Ex capite dolentes, & alto stupore detenti, ac delirantes, cum alvi interceptione, & ferociente intuitu, floridi, in scapulas rigescunt, ac posteriorum partium distentione tentantur. *Coac.* 162.

HAEMORRHAGIAM.

Quibus in morbis subita fit mentis percussio, cum inquieta corporis iactatione, iis sanguinis eruptionem fore, spes est. *Coac.* 184.

PHRENITIDEM.

Dementiae, in quibus aegri sunt tremuli, & aliquid investigantium more sensim contrectant, aut palpant, phrenitim praenunciant. Quin & ad suram dolores, in his mentem emovent. *Coac.* 76.

CONF MANIA, MELANCHOLIA, PHRENITIS,

DEMENTIA, vid. MANIA.

DENTES.

AD DIAGNOSIN.

Aetas 4 septenarii dentes sapientiae profert, plerumque duos. *De Princip. & Carn. XIV.* 3. 4.

Homines longaevi plures dentes habent *Epid. II. VI.*

Quibus in febre ad dentes viscosa circumnascuntur, his febres fiunt vehementiores. *Aph. IV.* 53.

AD PROGNOSIN.

Dentium collisio, aut stridor, praeter consuetudinem a teneris contractam, insaniam ac mortem denunciat. Quod si iam deliranti istud accidat, prorsus exitiale est. Quin & dentes resiccari, perniciem denotat. *Coac.* 235.

Dentium sideratio abscessum ad gingivas enatum solvit. *Coac.* 236.

Ad dentis siderationem vehemens adcedens febris, cum delirio, mortem minatur. Quod si serventur aegri, ulcera pus colligent, & ossa abscedent. *Coac.* 237.

AD THERAPIAM.

Frigidum, dentibus inimicum. *Aph. V.* 18.

DENTITIO.

AD DIAGNOSIN.

Qui cum tussicula dentiunt, tardius dentes producunt, in perpunctione autem magis gracilescunt. *De Dentit. II.* 6.

Ad dentitionem adcedentibus, gingivarum pruritus, febres, convulsiones, alvi profluvia; & maxime, ubi caninos dentes producunt, & iis qui inter pueros sunt crassissimi, & qui alvos duras habent. *Aph. III.* 25.

AD PROGNOSIN.

Quibus in dentitione alvus amplius subducit, minus convelluntur, quam quibus parum. *De Dentit II.* 1.

Quibus in dentitione febris acuta adcedit, parum convelluntur. *Ibid.* 2.

Qui-

Quicunque dentientes habitiores manent, & altiore somno utuntur, periculum est, ne convulsione corripiantur. *Ibid.* 3.

Qui hieme dentiunt, reliquis similibus existentibus, melius liberantur. *Ibid.* 4. 7.

Non omnes, in dentitione convulsi, moriuntur, sed multi etiam servantur. *Ibid.* 5.

DESIPIENTIA, vid. DELIRIVM.

DIAETA SANORVM.

REGVLAE GENERALES.

Et quibus semel, aut bis, & plura, vel pauciora, & per partes offerri conducat, videndum. Concedendum autem aliquid & consuetudini, & tempestati, & regioni, & aetati. *Aph. I.* 17.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam bonum est, quod naturae modum excedat. *Aph. II.* 4.

Facilius est repleri potu, quam cibo. *Aph. II.* 11.

Sanis periculosus est valde tenuis, & constitutus, & exquisitus victus; quia delicta gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis, & exquisitus victus, periculosus magis quam paulo plenior. *Aph. I.* 5.

Aestate & autumno cibos difficillime ferunt, hieme facillime, deinde vere. *Aph. I.* 18.

Imbecilla victus ratio frigida, valida vero calida. *Epid. VI. IV.*

Oportet ad aetatem, & ad tempus anni, & ad corporum species, ac habitus, diaetas constituere. *De Sal. diaet. II.* 9.

Occasio haec est, ut cibos offeramus ea copia, quantam corpus, cui offeruntur, superare valeat. *De Loc. in hom. LIV.* 7.

DIAETA IVNIORVM.

Quae crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento: sin minus, corpus consumitur. *Aph. I.* 14.

Iuniores corpora ſicca & compacta habent, ipſisque mollior & humidior diaeta confert. *De Sal diaet. II. 5.*

Cibus iuvenibus facile ac leviter putrefactus. *De Aliment. IX 1.*

His, qui in vigore aetatis conſiſtunt, impermutabilis. *Ibid.*

SENIORVM.

Senibus paucus calor, propterea paucis fomitibus indigent: a multis enim extinguitur. Idcirco etiam febres ſenibus non ſimiliter acutae. Frigidum enim eſt corpus. *Aph. I. 14.*

Senibus convenit cibus ad ſummum transmutatus. *De Alim. IX. 1.*

Seniores ſicciore victus modo, maiori temporis parte degere oportet; corpora enim in hac aetate, humida ſunt, & mollia, & frigida. *De Sal diaet. II. 7. 8.*

DIAETA HOMINVM natura HVMIDORVM.

Habitibus corporum carnoſis, & mollibus, ac rubris, plurimo anni tempore, ſiccioribus diaetis uti conducit. Humida enim eſt ipſorum natura. *Ibid. II. 1 2.*

NATVRA SICCORVM.

Duros & graciles, fulvosque ac nigros, humidiore diaeta maiori temporis parte victitare oportet. Corpora enim talia ſicca exiſtunt. *Ibid. 3. 4.*

Calidae naturae refrigeratio, aquae potus, & quies. *Epid. VI. IV.*

DIAETA AESTIVA.

Aeſtate convenit maza mollis, & potus aquoſus, ac multus, obſonia omnia cocta. *De Sal. diaet. I. 17.*

AVTVMNALIS.

Autumno cibi plures, & ſicciores, & obſonia iuxta eandem rationem; potus vero pauciores, & meraciores. *Ibid. 25.*

HIEMALIS.

Hieme iuvat comedere quamplurima, bibere autem quam parciſſime. Sit potus vinum quam meraciſſi-

mum,

mum, cibi, panis; & obsonia assata omnia. Oleribus quam paucissimis hoc tempore utendum. *De Sal. diaet. I. 2. ad 6.*

Ventres hieme & vere natura sunt calidissimi, & somni longissimi. In his igitur temporibus etiam alimenta plura exhibenda. Innatum enim calorem maiorem habent. Nutrimento igitur copiosiore indigent. Indicium sunt aetates, & athletae. *Aph. I. 15.*

VERNALIS.

Vere potum ampliorem assumere oportet, vinum dilutius, & paulatim. Cibis quoque mollioribus, ac paucioribus tum utendum est, & ablato pane, mazam exhibere; & iuxta eandem rationem obsonia detrahere, & ex assatis omnia cocta facere. Oleribus vero paucis tunc uti oportet, donec ad aestatem perveniat homo, cibis mollioribus utendo, & obsoniis coctis, & oleribus tam crudis, quam coctis; similiterque potibus quam dilutissimis, ac plurimis. Ita tamen ut paulatim, non derepente his utatur, ne videlicet magna mutatio fiat. *De Sal. Diaet. 8. ad 16.*

DIAETA AEGRORVM.

REGVLAE GENERALES.

Ex hominum adhuc sanorum victus ratione discendum, quaenam in eorum morbis conveniant. *De Vict. acut.*

Quae longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet: quae vero brevi, celeriter. *Aph. II. 7.*

Quicunque veloci adpositione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum. Quicunque vero adhuc velociori indigent, per olfactum. Qui autem tardiore adpositione opus habent, solido alimento utantur. *De Aliment. 5. 6. 7.*

Aegrotis aliquid indulgere licet in iis, quae non valde nocent, aut quorum noxa facile resarciri queat. *Epid. VI.*

Impura corpora, quo magis nutriveris, eo magis laedes. *Aph. II.* 10. *VII.* 67.

Si a morbo cibum quis capiens non roboretur, indicat corpus uberiore alimento uti. Si vero cibum non capienti hoc eveniat, evacuatione opus habere, nosse oportet. *Aph. II.* 8.

Multum & derepente evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocunque modo corpus movere, periculosum est. Nam etiam omne multum (idest nimium) naturae est inimicum. Quod vero paulatim fit, tutum est: tum alias, tum si quis ex altero ad alterum transeat. *Aph. II.* 51.

RATIONE VICTVS TENVIORIS, vel PLENIORIS.

In exercitantibus boni habitus ad summum progressi, periculosi, si in extremo fuerint. Non enim possunt in eodem manere, neque quiescere. Cum vero non quiescant, neque ultra possint in melius proficere, reliquum igitur in deterius. Horum igitur causa bonum habitum solvere confert haud cunctanter, quo rursus renutritionis principium sumat corpus. Neque confidentiae ad extremum ducendae: periculosum enim. Sed qualis natura fuerit eius, qui perferet, eo usque ducendae. Sic & evacuationes ad extremum ducentes, periculosae. Et rursus refectiones, cum extremae fuerint, periculosae. *Aph. I.* 3.

Tenuis & exquisitus victus in longis morbis semper, & in acutis, ubi non convenit, periculosus. Et rursus ad extremum tenuitatis progressus victus, difficilis. Nam & repletiones ad extremum progressae, difficiles sunt. *Aph. I.* 4.

In tenui victu delinquunt aegri, ob id magis laeduntur. Omne enim delictum, quod committitur, multo maius fit in tenui, quam in paulo pleniore victu. *Aph. I.* 5.

Vbi cibus praeter naturam copiosior ingressus fuerit, id morbum facit. Ostendit autem sanatio, *Aph. II* 17.

Vbi

Vbi peracutus est morbus, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu uti necesse est. Vbi vero non, sed plenius cibare licet, tantum a tenui recedendum, quantum morbus remissior extremis fuerit. *Aph. I. 7.*

RATIONE STATVS MORBOSI.

Considerare oportet etiam aegrotantem, num ad morbi vigorem victu sufficiet, & an prius ille deficiet, & victu non sufficiet: vel morbus prius deficiet, & obtundetur. *Aph. I. 9.*

Cum morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuissimo victu uti necesse est. *Aph. I. 8.*

Quibus statim vigor adest, statim tenuiter alendi. Quibus vero in posterum vigor, his ad illud, & paulo ante illud tempus subtrahendum. Antea vero uberius alendum, ut sufficiat aeger. *Aph. I. 10.*

In exacerbationibus cibum subtrahere oportet; exhibere enim noxium est. Et quaecunque per circuitus exacerbantur, in exacerbationibus subtrahere oportet. *Aph. I. 11.*

His, qui per circuitus exacerbantur, nihil dare oportet, neque cogere, sed auferre de adpositionibus ante iudicationes. *Aph. I. 19.*

Si quis febricitanti cibum det, convalescenti quidem, robur: aegrotanti vero, morbus fit. *Aph. VII. 65.*

DIAPHRAGMA.

Eius vulnus lethale. *Aph. VI. 18.*

DIARRHOEA, vid. ALVI FLVXVS.

DIES CRITICI, vid. CRITICI DIES.

DIGITI.

Si cum gravitate digiti ac ungues lividi fiant, in propinquo mors est. At si omnino nigrescant, minus quam liventes periculum portendunt. Verum tunc reliqua consideranda sunt. Etenim si facile morbum susti-

sustinet aeger, & aliud quiddam ex his, quae securitatem pollicentur, se prodit, morbus in abscessum vergit, & denigratae corporis partes decidunt. *Coac.* 493.

DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

Quicunque aliqua corporis parte dolentes, dolorem fere non sentiunt, his mens aegrotat. *Aph. II* 6.

Duobus doloribus simul obortis, non in eodem loco, vehementior alterum obscurat. *Aph. II.* 46.

Circa puris generationes, dolores, & febres magis accidunt, quam ipso facto. *Aph. II.* 47.

Flatus cum strepitu prodiens, dolorem & delirium denunciat, nisi sua sponte aeger ita flatum emiserit. *Coac.* 495.

Spiratio frequens, & parva, aut inflammationem, aut dolorem partium principalium indicat. *Coac.* 260.

Vrina, in qua quod subsidet bonum est, & derepente evanescit, dolorem ac mutationem denunciat. *Coac.* 585.

Dolores circa umbilicum cum palpitatione, mentis alienatae significationem quandam praebent. *Praedict. I.* 36.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Pallidis, gracilibus, salivantibus, & in somno sudantibus, si dolores ad inferiora decumbant, toleratu faciles existunt. *Coac.* 271.

Virium exsolutio dolorem solvens. *Coac.* 629.

Dolorem in locis infernis fortem surditas solvit, itemque sanguis multus ex naribus erumpens. *Epid. II V.* 9.

NOTAE LONGIORIS MORBI.

Dolores ex glandularum tumoribus, in febribus. *Coac.* 73.

Ex vehementibus doloribus obortae febres, diuturnae. *Coac.* 75.

NO-

NOTAE PERICVLI.

A dolore diuturno partium circa ventrem ſuppuratio, malum. *Aph. VII.* 22.

Femoris dolore evaneſcente, ſi quid ſublime per urinam innatet, mentis emotionem expectare oportet, taliaque, qualia circa aurium ſonitus contingunt. *Praedict. I.* 37.

NOTAE LETHALES.

Dolores ſenſim ingraveſcentes, ſi ad iugulum, & ſuperiores partes tranſeant, perniciem minantur. *Coac.* 7.

AD THERAPIAM.

Calidum dolores ſedat. *Aph. V.* 22.

Torpor modicus doloris ſolvendi vim habet. *Aph. V.* 25.

DOLOR VARIARVM PARTIVM, vid. ſub nomine PARTIVM.

DYSENTERIA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph. III.* 30.

Tempus autumnale. *Aph. III.* 22.

Tempus aeſtivum, poſt hiemem ſiccam, & aquiloniam, ver autem pluvioſum, & auſtrinum. *Aph. III.* 11.

Ver ſiccum, & aquilonium, poſt hiemem auſtrinam, & pluvioſam, & tranquillam. *Aph. III.* 12.

Siccitates. *Aph. III.* 16.

Alvi profluvium. *Aph. VII.* 75.

NOTAE ANTECEDENTES.

Num quae caput concutiunt, & aurium ſonitus excitant? *Coac.* 167.

In febribus, venae, quae eſt in cervice, pulſatio, & dolor, rem ad inteſtinorum difficultatem deducit. *Coac.* 124.

Tumores rubicundi in ulceribus, quae in antica parte fuerint, derepente diſparentes. *Aph. V.* 65.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Lienosis dysenteria superveniens, bonum. *Aph. VI.* 48. non longa. *Coac.* 456.

Ab insania dysenteria, bonum. *Aph. VII.* 5.

Dysenterico plurimum inest spei, cui pravorum symptomatum paucissima adsunt. *Praedict. II.* 118.

Vbi sanguis, & strigmenta per alvum reiecta fuerint 7. die desinunt, aut 14. aut 20. aut 40. aut intra hoc tempus. Huiusmodi namque deiectiones etiam eos, qui ante fuerunt, morbos tollunt: inveteratos quidem, spatio temporis maiore; recentes vero, etiam paucis diebus levare possunt. *Praedict. II.* 121.

DETERIORIS NOTAE.

A meraca deiectione dysenteria, malum. *Aph. VII.* 23.

Intestinorum difficultate laborantibus, vomitio biliosa circa initia, malum est. *Coac* 463.

Tormina omnia mala sunt, si cum febre invadunt, aut variis alvi recrementis, aut iecoris inflammatione, aut praecordiorum, aut ventris; aut quaecunque doloribus cruciant, aut cibos cohibent, sitimque inferunt. *Praedict. II.* 118.

In gravi intestinorum difficultate, quibus humor ad pus pervenit, quod summum insidet, exalbidum erit, & copiosum. *Coac.* 464.

Praegnantes ipsae etiam plerumque ad partum supersunt, & ex partu, fetumque conservant, etiamsi per multos menses sanguis, & strigmenta per alvum secedant, nisi si dolore affligantur, aut aliquod ex malis signis adcesserit. *Praedict. II.* 122.

Si aliquod ex malis signis adesse visum fuerit, & fetui perniciem, ac praegnanti periculum denunciat, nisi post fetus absolutionem, aut secundarum dimissionem, ipsa tormina eodem die, aut non multo post, cessaverint. *Praedict. II.* 123.

In longis dysenteriis cibi fastidia, mala, tum alias, tum si insuper febrierint. *Epid. VI. VIII.* 1.

LE-

LETHALIS.

Dysenteria si ab atra bile inceperit, lethale. *Aph. IV.* 24.

Si a dysenteria detento, velut carunculae secesserint, lethale. *Aph. II.* 26.

Qui lienosi a dysenteria corripiuntur, his longa superveniente dysenteria, hydrops supervenit, aut intestinorum levitas, & pereunt. *Aph. VI.* 43. *Coac.* 466.

Celerrime is perit, quem maxima pars malorum symptomatum occupat. *Praedict. II.* 118

Is morbus praecipue pueros a 5. anno perimit, & qui eum superant ad 10. usque: ceterae aetates tutiores sunt. *Praedict. II.* 119.

ALIVM MORBVM PORTENDENS.

A dysenteria intestinorum levitas supervenit. *Aph. VII.* 76.

Intempestive suppressa intestinorum difficultas, abscessum in costis, aut visceribus, aut articulis, inducit. Ac forte biliosa quidem, in articulis: sanguinea vero, in costis ac visceribus abscessum facit. *Coac.* 462.

Intestinorum difficultate laborantibus, aliquantulum rubrae, limosae, & copiosae deiectiones, in flammeo colore, & praerubro perfusis solutae, insaniam suspectam faciunt. *Coac.* 465.

AD THERAPIAM.

Vbi purgaveris caput, pharmaco in potu exhibito, quod sursum pituitam purgat, & alvum lacte cocto elueris, reliquum corpus curato. Et siquidem febre caruerit, pinguibus, & dulcibus, ac liquidis semper, ea quae insunt, ex alvo subducito; & multa calida partes sub umbilico lavato, si dolor adfuerit. Potus autem, & sorbitiones, ac cibos exhibeto convenientes. *De Affect. XXIV.* 4. *ad* 8.

DYSVRIA. VRINAE DIFFICVLTAS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas

Aetas ſenilis. *Aph.* *III.* 31.
Tempus anni aquilonium. *Aph.* *III.* 5.

AD THERAPIAM.

Vrinae difficultatem venaeſectio ſolvit: ſecandae vero internae. *Aph.* *VI.* 36. Vini potus, & venaeſectio. *Aph.* *VII* 48.

EBRIETAS.

Si quis ebrius ex improviſo mutus fiat, convulſus moritur, niſi febris corripuerit: aut ubi ad horam, qua crapulae ſolvuntur, pervenit, locutus fuerit. *Aph.* *V.* 5. *De Morb.* *II.* *XXII.* 2. 3. 4.

Si quis inebriatus fuerit, utique quam prius magis ſudaverit, & difficilius ſpirabit, & ſe ipſo gravior, & humidior evadet. Quin & alacrior fuerit, niſi caput aliquatenus dolore vexetur. *Praedict.* *II.* 24.

ELLEBORVS.

AD PROGNOSIN.

Convulſio ex Elleboro, lethale. *Aph.* *V.* 1.

Ex epoto veratro, praerubrorum & nigrorum purgationes, vitioſae. Virium exſolutio cum talibus, mala eſt. *Coac* 569.

In intenſo lumborum dolore, & alvi ſubductione largiore, ſumpto veratro, ſpumoſorum crebra vomitio prodeſt. *Coac.* 310.

AD THERAPIAM.

Elleborus periculoſus eſt ſanas carnes habentibus: convulſionem enim inducit. *Aph.* *IV.* 16.

Ad Elleboros, qui non facile ſurſum purgantur, iis ante potionem corpora praehumectanda, copioſiore alimento, & quiete. *Aph.* *IV* 13.

Vbi biberit quis Elleborum, ad motiones quidem corporum magis ducit: ad ſomnos vero, & quietem, minus. Declarat autem & navigatio, quod motus turbat corpora. *Aph.* *IV.* 14.

Quando vis magis ducere Elleborum, moveto corpus: quando cessare, somnum facito, & non moveto. *Aph. IV.* 15.

EMPYEMA. PVRIS INTRO COLLECTIO. SVPPVRATIO.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Quibus anginam effugientibus, ad pulmonem vertitur, nisi in 7. diebus moriantur. *Aph. V.* 10.

Sanguis in ventrem effusus praeter naturam. *Aph. VI.* 20.

Pleuritis, nisi in 14 diebus superne repurgetur. *Aph. V.* 8.

Pulmonis inflammatio, in diebus iudicatoriis non repurgata, verum cum delirio 14. dies superans. *Coac.* 396.

In morbo laterali, quibus circa initia in totum purulentae sunt spuitiones, nisi 3. aut 5. die moriantur. *Coac.* 379.

NOTAE COMITANTES.

Febris non dimittens, interdiu levior, noctu gravior, sudores multi, tusses & tussiendi cupiditas, absque sputo notabili, oculi cavi, malae rubentes, ungues adunci, digiti summi incalescentes, in pedibus tumores, inappetentia, & pustulae toto corpore oriundae. *Praenot* 104. Sudores circa cervicem, & claviculam, digiti summi calentes, & scabri, ungues unci, & perfrigescentes. *Coac.* 402.

Quae ob puris intro collectionem febres intermittunt, in his magna ex parte aegri tenuibus sudoribus diffluunt. *Coac.* 419.

Quibus latus in tumorem sublatum est, ac calidius existit, ubi in alterum latus incumbentibus, pondus quoddam suspensum esse videtur, iis pus una in parte collectum est. *Coac.* 428.

Quibus ex lateris dolore, facies ruboribus velut efflorescit, & alvus est liquidior, pus in pulmonibus collectum habent. *Coac.* 423.

Qui pus intro collecturi sunt, iis primum quidem salsuginosum sputum exspuitur, deinde dulcius. *Coac.* 403.

AD

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Qui ex pleuritide ſuppurati fiunt, ſi intra 40. dies, ex quo ruptio fuerit facta, repurgentur ſuperne, liberantur; ſi vero minus, ad tabem tranſeunt. *Aph. V.* 15.

Qui ſuppurati uruntur, aut ſecantur, ſiquidem purum effluat pus, & album, evadunt. Si vero ſubcruentum, & coenoſum, ac graveolens, pereunt. *Aph. VII.* 44.

Quibus purulentis, ab humeris concuſſis multus editur ſtrepitus, ii minus habent puris, quam quibus paulo difficilior ineſt ſpiratio, iique melius colorati videntur. Quibus vero nullus intus fit ſtrepitus, difficultas tamen ſpirandi vehemens adeſt, & liveſcunt ungues, ii pure pleni ſunt, & pernicioſe habent *Coac.* 432.

NOTAE LETHALES.

Quibus, ſi concutiuntur, pus lutulentum & graveolens prodit, utplurimum moriuntur. *Coac.* 409.

In pulmone pus colligentibus, per alvum pus ſecedere, mortiferum. *Coac* 429.

Qui ſuppurati, aut hydropici uruntur, aut ſecantur, hi pure aut aqua acervatim effluente, omnino moriuntur. *Aph. VI.* 27.

Purulentos moderatius habentes, ſi ſputa graveolentia conſequantur, recidiva interimit. *Coac.* 406.

AD THERAPIAM.

Suppuratis caput purgare oportet, non fortibus medicamentis, ſed paulatim avertere in nares, & ſimul eduliis ventrem ſubducentibus uti. Et quum principium morbi nondum eſt, ſed eo fluxus vertitur, ac vergit, exſcreationem facere, & tuſſim excitare, & medicamentis infuſilibus in nares uti, & cibis ſimul ingeſtis. Quum autem exſcreationem facere oportet, pluribus cibis, & ſalſis, ac pinguibus utendum eſt, & vino auſtero, & cum ſic habet, tuſſis inducenda. *De Loc. in hom. XXXI.* 1. *ad* 9.

CONF.

CONF. ABSCESSVS, PERIPNEVMONIA, PVS, VOMICA.

EPILEPSIA. MORBVS COMITIALIS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas iuvenilis. *Aph. III.* 29.

Temperies atrabilaria. *Epid. VI. VIII.* 95.

Tempus vernale, & autumnale. *Aph. III.* 20. 22.

Constitutio pluviosa. *Aph. III* 16.

Purgamenta muliebria retenta. *Coac.* 522.

Oppilationes multae per venas, & impeditus sanguinis cursus. *De Flat. XXI.* 2. 3.

NOTAE ANTECEDENTES.

Capitis dolores, & aurium tinnitus, citra febrem, aut tenebricosa vertigo, & vocis tarditas, manuumque stupor. *Coac.* 161.

NOTAE INSTANTIS PAROXYSMI.

Vrinae praeter consuetudinem tenues, & crudae, absque repletione, morbo comitiali obnoxiis, morbi insultum denunciant, idque praecipue, si in summum humerum, aut cervicem, aut dorsum, dolor aut convulsio incidat; aut torpor totum corpus occupet, aut turbulentum insomnium visum fuerit. *Coac.* 599.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Epilepticis pueris mutationes, maxime aetatis, & regionum, & vitarum, liberationem faciunt. *Aph. II.* 45.

Quibus epilepsiae ante pubertatem contingunt, mutationem habent. *Aph. V.* 7.

Liberantur aliquando huic morbo obnoxii, maxime accedente hieme. *De Flat. XXIII.* 1.

DETERIORIS NOTAE.

Quibus epilepsiae accidunt 25 annos natis, his plerumque commoriuntur. *Aph. V.* 7.

LETHALIS.

Quum aetatem adeptus fuerit morbus, non amplius curabilis est. *De Morbo Sacr. XIII.* 15.

Qui statis temporibus sanguinem fundunt, si siticulosi sint, neque sanguinem profuderint, comitiali morbo pereunt. *Coac.* 345.

Hydropicis succedentes morbi comitialis offensiones, perniciem adferunt, pravis invicem succedentibus signis, & alvos humectant. *Coac.* 454.

Ex aqua inter cutem morbus comitialis, perniciem adfert. *Coac.* 459.

ERYSIPELAS.

AD DIAGNOSIN.

In febribus, ex praegresso dolore, rubores ad aures subnascentes, ignis sacri in facie spem faciunt. *Coac.* 200.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Erysipelas ab intus foras versum. *Aph. VI.* 25. *Praenot.* 136. *Coac.* 366.

DETERIORIS NOTAE.

Erysipelas foris intro versum. *Aph. VI.* 25. *Praenot.* 136. *Coac.* 366.

Ab ossis denudatione erysipelas, malum. *Aph. VI.* 19.

Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum. *Aph. VII.* 20.

LETHALE.

Si mulieri praegnanti erysipelas in utero fiat, lethale. *Aph. V.* 43.

Erysipelas foris quidem exstare, utile; intro autem vergere, lethale. Cujus quidem rei indicium est, cum rubore evanescente pectus gravatur, & aegrius spiritum trahit aeger. *Coac.* 366.

AD THERAPIAM.

Frigidum iuvat erysipelas non exulceratum; sed exulceratum laedit. *Aph. V.* 23.

EVACVATIO.

INDICANTIA VARIA.

Morbi a repletione facti. *Aph. II.* 22.
Tempus vernale. *Aph. VI.* 47. *VII.* 53.
Sudor multus a somno citra causam manifestam factus, in homine cibum non capiente. *Aph. IV.* 41.
Si a morbo cibum quis capiens non roboretur, indicat corpus uberiore alimento uti. Si vero cibum non capienti hoc eveniat, evacuatione opus habere, nosse oportet. *Aph. II.* 8.

REGVLAE GENERALES.

Quae ducere oportet, quo maxime vergant, eo ducenda, per loca convenientia. *Aph. I.* 21.
Evacuationes ad extremum ducentes, periculosae. *Aph. I.* 3.
Multum & derepente evacuare, periculosum. *Aphor. II.* 51.
Vasorum evacuatio, si qualem fieri decet, fiat, confert, & facile ferunt; sin minus, contra. *Aph. I.* 2.
Si, qualia purgari oportet, purgentur, confert & facile ferunt; si vero contraria, difficulter. *Aph. I.* 25.
Quae prodeunt, non copia sunt aestimanda, sed si prodeant, qualia oportet, & facile ferat. *Aph. I.* 23.
Neque intempestivas, neque vehementissimas vasorum inanitiones moliri fas est. *De Vict. acut.*

EVNVCHI.

Non laborant podagra, neque calvi fiunt. *Aph. VI.* 28. *De Nat. puer. XIX.* 1. 2.

EXACERBATIO, vid. PAROXYSMVS.
EXCREMENTA ALVI, vid. ALVI DEIECTIONES.
EXSOLVTIO, vid. VIRIVM EXSOLVTIO.

EXPERIMENTVM.

Periculosum. *Aph. I.* 1.

EXSCREATIO.

In febre distractio, velut a vomitu, in exscreationem desinens, malum portendit. *Coac.* 55.

Exscreatio frequens, siquidem etiam aliud quoddam signum adfuerit, phrenitidem portendit. *Coac.* 244.

EXTENVATIO, vid. COLLIQVATIO.

EXTREMA CORPORIS.

Celeres extremorum corporis ad utraque extrema permutationes, perniciem denunciant. *Praedict. I.* 43.

In morbis acutis extremarum partium frigus, malum. *Aph. VII.* 1.

CONF. FRIGVS.

EXTREMA REMEDIA.

Ad extremos morbos, extrema remedia exquisite optima. *Aph. I.* 6.

FACIES.

AD DIAGNOSIN.

Bene colorata facies; cum sudoribus diffluentibus, absque febre, vetusta stercora subesse, aut inordinatam victus rationem, praesefert. *Coac.* 214.

Quos ex lateris dolore cibi fastidia comitantur, iis os ventriculi aliquantulum dolet, & sudoribus diffluunt. Vbi autem facies ruboribus velut efflorescit, & alvus est liquidior, pus in pulmonibus collectum habent *Coac.* 423.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

,Facies optima, bene valentium, praecipueque sui ipsius similis. *Praenot.* 2.

Facies bona, in magnis malis. *Epid. VI. II.* 61.

Facies ex tumida depressa, ac vox levior, & remissior evadens, spiritus quoque rarior, ac lenior, postera die remissionem fore, denunciat. *Coac.* 211.

Qui-

Quibus praegnantibus, tabi opportunis, faciei rubor exoritur, hunc ſtillationes e naribus avertunt. *Coac.* 524.

DETERIORIS NOTAE.

Bene colorata facies, ac valde tetrica, & ſuperciliofa. *Praedict. I.* 49. *Coac.* 213.

Si venae temporum in febribus pulſent, & facies bene habita fuerit, absque praecordiorum mollitie. *Coac.* 128.

LETHALIS.

Faciei corruptela lethalis eſt, minus tamen, ſi ob pervigilium, aut inediam, aut alvi perturbationem contingat: nam quae ex his cauſis orta eſt corruptelae ſpecies, una die, aut nocte in integrum reſtituitur. Huiusmodi autem faciei hae ſunt notae: oculi concavi, nares acutae, collapſa tempora, frigidae aures, contractaeque, cutis dura, color pallidus, aut niger; ad haec quoque liveſcens palpebra, aut labrum, aut naſus, mortem in propinquo eſſe ſignificat. *Coac.* 212. *Praenot.* 2. 3.

NOTAE ALIAE MORBI FVTVRI.

PHRENITIDIS.

Vultus bene coloratus, tetricus, ac ſuperciliofus, cum fronte contracta, in morbo acuto. *Coac.* 213.

INSANIAE.

Quibus faciei incendium, & intenſus rubor ſolvitur, & graveolens eſt alvi egeſtio, redundans, & ſubrubra, in his inſaniae metus eſt. *Coac.* 624.

HAEMORRHAGIAE.

Febris cum faciei rubore, & capitis vehementi dolore, & venarum pulſu. *Coac.* 142.

FAMES. INEDIA.

AD PROGNOSIN.

Inedia faciei corruptelam velut lethalem parit, ſed una die, aut nocte finiendam. *Coac.* 212. *Praenot.* 3.

AD THERAPIAM.

Fames magnam vim habet in naturam hominis, & sanandi, & debilitandi, & occidendi. *De Vet. med.* XV. 10. *ad* 13.

Senes facillime ieiunium ferunt; secundo, aetate consistentes; minime adolescentes; omnium minime pueri: ex his autem, qui inter ipsos sunt alacriores. *Aph. I.* 13.

Corporibus humidas carnes habentibus, famem inducere oportet: fames enim siccat corpora. *Aph. VII.* 59.

Fames naturae modum excedens, nocet. *Aph. II.* 4.

Vbi fames, non oportet laborare. *Aph. II.* 16.

Famem vini potio solvit. *Aph. II.* 21.

Ieiunium ad capitis dolores, & crapulam, non confert. *De Vict. acut.*

FASTIDIVM, vid. CIBI FASTIDIVM.

FAVCES.

AD DIAGNOSIN.

Aquilonium anni tempus fauces asperas reddit. *Aph. III* 5.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

Vbi febricitanti fauces exulcerantur, si aliud quoque ex gravioribus signis affuerit. *Coac.* 276. *Praenot.* 131.

Fauces leviter exasperatae, & alvus inanibus exurrectionibus fatigata, frontis dolores, in aegris palpantibus, & more investigantium sensim contrectantibus, aut dolore affectis, si quae ex his increscunt, molestiam exhibent. *Coac.* 267. *Praedict. I.* 109.

NOTAE LETHALES.

Fauces dolentes, absque tumore, cum labore, & molestia, ac suffocatione, praeceps exitium minantur. *Praedict. I.* 86.

In praecipitibus malis strangulatus, gracilescentibus faucibus, perniciem minatur. *Coac.* 61.

NO-

NOTAE ALIAE MORBI FVTVRI.

CONVVLSIONIS.

Faucium gracilium praefocantes dolores, ubi ex capitis dolore ortum duxerint, convulſiones adferunt. *Coac.* 262. *Praedict. I.* 104.

Vehementes faucium dolores, aurium tubercula & convulſiones excitant; itemque cervicis, ac colli dolores. *Coac.* 268.

PAROTIDVM.

Quibus ad fauces irritamenta fiunt, iis moderata aurium tubercula excitantur. *Coac.* 264.

PHRENITIDIS.

Vbi fauces in morbis acutis graciles fiunt, parvae, ac dolentes, atque ubi os hiarit, ſi gracile appareat, nec facile contrahi poſſit, mentis emotionem metuere oportet; indeque ſuccedens phrenitis perniciosa eſt. *Coac.* 275. *Praedict. I.* 11.

FEBRIS IN GENERE.

AD DIAGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Calidum ſolum non eſt febrium cauſa, ſed calidum & amarum ſimul, calidum & acidum, calidum & ſalſum, aliaque innumera. *De Vet. med.*

Aetas dentitionis febribus obnoxia. *Aph. III.* 25.

Quum aeſtas ſit veri ſimilis, ſudores in febribus multos expectare oportet. *Aph. III* 6.

Linguae biſulcum velut ſaliva alba obductum, febris remiſſionem indicat, eo quidem, quod agnatum eſt, craſſo exiſtente, eodem die: ſi vero tenuius fuerit, poſtridie: perendie quoque, ſi adhuc tenuius fuerit. Eadem etiam ſignificatio eſt, ſi haec circa ſummam linguam contingant, minus tamen firma. *Coac.* 230.

Quibus in febre ad dentes viſcoſa circumnaſcuntur, his febres fiunt vehementiores. *Aph. IV.* 53.

Qui aestum sentiunt, & progressis deiectionibus, tenuibus sudoribus diffluunt, iis febris ingravescit. *Coac.* 546.

AD PROGNOSIN.

FEBRIS ALIOS MORBOS SANAT.

Aphoniam ex ebrietate ortam. *Aph. V.* 5.

Convulsionem, aut tetanum. *Aph. IV.* 57. *Coac.* 354.

Dolores capitis, cum aphonia, & stertore, sanis derepente obortos. *Aph. VI.* 51.

Quibus hepar circumcirca dolet, his febris superveniens dolorem solvit. *Aph. VII.* 52. *Coac.* 449.

Quibus ad hypochondrium dolores fiunt, absque inflammatione, his febris superveniens solvit dolorem. *Aph. VI.* 40.

Volvulum ex urinae stillicidio subortum. *Aph. VI.* 44. *Coac.* 475.

Lippitudine affecto suborta febris, solutionem affert. *Coac.* 222.

Quibus ex vulnere, corporis impotentia accidit, ii febre citra rigorem oborta, sani evadunt. *Coac.* 477.

In sideratis, &c. si febris accedat, solutio contingit. *Coac.* 479.

NOTAE IVDICATIONIS VARIAE.

Febrium iudicationes iisdem numerantur diebus, quibus & evadunt, & moriuntur homines. *Praenot.* 122.

Febres mitissime, & securissimae, die 4. aut ante desinunt; maxime vero malignae & gravissimae, die 4. vel prius interficiunt. *Praenot.* 122.

Primus febrium insultus ad dies 4. secundus ad 7. tertius ad 11. quartus ad 14 quintus ad 17. sextus ad 20. dies excurrit. *Praenot.* 122.

Inter initia perquam difficile est dignoscere, quinam morbi longo temporis spatio iudicari debeant, quod simillima sint eorum principia. *Praenot.* 124.

Qui morbi intra brevissimum temporis spatium iudicationem sunt subituri, facilius dignoscuntur, cum maxime inter se ab initio dissideant. *Praenot.* 125.

Qui-

Quibus per febres fexta die rigores fiunt, difficulter iudicantur. *Aph. IV.* 29.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres folvuntur. *Aph. IV.* 63.

Quibus exacerbationes fiunt, quacunque hora dimiferit febris, poftridie eadem hora fi corripuerit, difficulter iudicantur. *Aph. IV.* 30.

Febricitare incipientibus, fanguinis ftillationes cum fternutatione adcedentes, & quod in urina defidet album 4. die vifum, 7. folutionem adfore denunciant. *Coac.* 149.

Vrina in febre album & laeve depofitum habens fedimentum, celerem liberationem denunciat; celerem quoque, quae diluta indifcretam quandam habet pinguedinem. *Coac.* 575.

Quae aliquantulum rubet, fubrubrum habet fedimentum, & leve, fiquidem ante diem 7. appareat, 7. die folutionem fore defignat; poft 7. autem, tardiorem; aut plane diuturnam. *Coac.* 575.

Quae 4. die fubrubram nubeculam capit, 7. die liberat, dum reliqua pro ratione habeant. *Coac.* 575.

NOTAE LONGITVDINIS.

Febricitantium non omnino leviter, permanere, & nihil remittere corpus, morbi longitudinem indicat. *Aph. II* 28.

In febribus abfceffus, qui non folvuntur ad primas iudicationes, morbi longitudinem fignificant. *Aph. IV.* 51.

Dolores ex glandularum tumoribus. *Coac.* 73.

Iudicationis ceffationes in febribus, temporis quidem longinquitatem, non tamen perniciem inducunt. *Coac.* 75.

Ex vehementibus doloribus obortae febres, diuturnae. *Coac.* 75.

Sudores febricitantium extra dies criticos orti, laborem fignificant, & morbi longitudinem, & recidivas. *Aph. IV.* 36.

Febri-

Febricitanti sudor superveniens, febre non remittente, malum. Prolongatur enim morbus, & copiosiorem humiditatem indicat. *Aph.* IV. 56.

Si venae temporum in febribus pulsent, & facies bene habita fuerit, absque praecordiorum mollitie, longum fore morbum, sperare oportet, qui nec sine liberali sanguinis ex naribus profusione, aut singultu, aut convulsione, aut coxendicum dolore, desinet. *Coac.* 128.

In febre cum sudore, vocis ex capitis dolore defectiones, si per se resolvuntur aegri, ac praeter voluntatem excrementa demittantur, malumque remitti videatur, diuturni morbi metus est. In his subinde obortus rigor, damnari non debet. *Coac.* 253.

Quibus febricitantibus in urinis subsidentiae fiunt crassiori farinae similes, longam infirmitatem significant. *Aph.* VII. 31.

Vrina tenuis & biliosa, & aegre lentum habens sedimentum, & quae in melius ac deterius commutatur, temporis diuturnitatem postulat. *Coac.* 575.

In febre variarum interdum urinarum mictiones, morbum producunt. *Coac.* 595.

NOTAE SALVTARES.

Febrem convulsioni supervenire melius est, quam convulsionem febri. *Aph.* II. 26.

Febres quocunque modo intermittant, quod sine periculo sint, significat. *Aph.* IV. 43. VII. 62. *Coac.* 117.

Qui ex morbo superfuturi sunt, facile spirant, dolore vacant, noctu dormiunt, aliaque securissima signa habent. *Praenot.* 126.

Sudores febricitantibus si inceperint, boni sunt die 3. & 5. & 7. & 9. & 11. & 14. & 17. & 21. & 27. & 31. & 34. hi enim morbos iudicant. *Aph.* IV. 36.

Quibus in febre, die 7. aut 9. aut 11. aut 14. morbus regius supervenit, bonum est: nisi dextrum hypochondrium durum sit, alioqui non bonum. *Aphor.* IV. 64.

Qui-

Quibus in febre aures obſurduerint, his ſanguis e naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum ſolvit. *Aph. IV.* 60.

Quibus urinae craſſae, grumoſae, paucae, non ſine febre, copia ex his ſuccedens tenuis iuvat. Tales autem maxime prodeunt, quibus ab initio, aut brevi, ſubſidentiam continent. *Aph. IV.* 69.

Quibus ex naribus fluxiones, die 7. 9. aut 14. contingunt, utplurimum a febribus vindicant. Eodem vero modo & bilioſus alvi fluxus, & qualis in inteſtinorum difficultate fieri aſſolet; ac genuum & coxendicum dolor; urinaque ſub iudicationem concocta; & vero in muliere menſium profluvium. *Coac.* 152.

NOTAE PERICVLI.

Convulſio febri ſuperveniens. *Aph. II.* 26.

Deiectiones nigrae, qualis ſanguis niger, ſponte prodeuntes, *Aph. IV.* 21.

In bubonibus febres omnes malae, praeter ephemeras. *Aph. IV.* 55.

In febribus circa ventrem aeſtus vehemens, & oris ventriculi dolor, malum. *Aph. IV.* 65.

Quibus in febre morbus regius ſupervenit ante 7. diem, malum eſt. (Niſi confluxus humorum per alvum fiant.) *Aph. IV.* 62.

In febribus, ex ſomnis pavores, aut convulſiones, malum. *Aph. IV.* 67.

In febribus ſpiritus offendens, malum. Convulſionem enim ſignificat. *Aph. IV.* 68.

Qui ſanguinem vomunt, ſiquidem ſine febre ſalutare: ſi vero cum febre, malum. *Aph. VII.* 37.

Ex praecordiorum doloribus obortae febres, malignae ſunt. *Praedict. I.* 56. In his profundus, ac altus ſopor, peſſimus. *Coac.* 31.

Febres, quae ſoporem, laſſitudinemve inducunt, aut in quibus caligant aegri, inſomnia, ac tenuibus ſudoribus vexantur, malignae ſunt. *Praedict. I.* 74.

Cor-

Corporis iactationes, & incontinentiae, cum perfrigeratione, pessimae. *Coac.* 2.

In febre convulsio, manuumque ac pedum dolores, malignum quiddam praenunciant. Malignus quoque ex femore doloris impetus. Sed & neque genuum dolor probari potest. Quin & surarum quoque dolores maligni sunt, ac mentis emotio, tum vero praecipue, si sublime quid in urina innatet. *Coac.* 30.

In febre mutum esse, malo est. *Coac.* 34.

In febribus, alvo a flatibus distenta, flatum non erumpere, malum. *Coac.* 44.

In febre tenuiter exsudantes, maligne habent. *Coac.* 42.

In febre distractio, velut a vomitu, in exscreationem desinens, malum portendit. *Coac.* 55.

Qui accessione correpti, postero die gravius habent, iis malum denunciatur. *Coac* 78.

Quaecunque febri ex adverso respondent, nisi abscessum faciant, malignitatem denunciant. *Coac.* 145.

In febre sputi exscreationes lividae, nigrae, biliosae, subsistentes quidem malae sunt; si vero pro ratione excernantur, utiles. *Coac.* 242.

NOTAE LETHALES.

Qui perituri sunt, difficultate spirandi vexantur, delirant, vigilant, ceteraque signa pessima habent. *Praenot.* 127.

Si a febre detento, tumore in faucibus non existente, suffocatio ex improviso superveniat, lethale. *Aph.* *IV.* 34.

Si a febre detento, collum derepente inversum fuerit, & vix deglutire possit, tumore non existente, lethale. *Aph.* *IV.* 35. *VII.* 58. *Coac.* 277.

Febrium initio, si atra bilis sursum, aut deorsum prodeat, lethale est. *Coac.* 68.

Vbi livores in febre fiunt, prope adfore mors significatur. *Coac.* 66.

Febres vertiginosae, & cum tenuis intestini morbo, & sine hoc, perniciem intentant. *Coac.* 106.

Qui-

Quibus per febres assiduas pustulae toto corpore enascuntur, lethale est, nisi quid purulentum abscedat. In his vero praecipue adnasci ad aures tubercula solent. *Coac.* 114.

Cum oculorum perversione, febribus, & lassitudinis sensu detento, rigor perniciem minatur. Atque in huiusmodi casibus soporati malum denunciant. *Coac.* 221.

Vocis defectiones in febre, quae convulsionis speciem praeseferunt, & in mentis emotionem cum silentio desinunt, perniciem ostentant. *Coac.* 248.

NOTAE RECIDIVAE.

Febricitanti, nisi in diebus imparibus dimiserit febris, reverti solet. *Aph. IV.* 61. *Coac.* 80.

Quibus febres cessant, neque apparentibus solutionis signis, neque diebus iudicatoriis, iis recidiva expectanda est. *Praenot.* 138. *Coac.* 146.

Vrina densitatem divulsam habens, morbi reversionem, aut sudorem portendit. *Coac.* 593.

NOTAE ALIAE MORBI FVTVRI.

ABSCESSVS.

Febris assidua, diutius cum securitate trahens, si neque ex dolore, neque ex inflammatione, neque ex alia ulla manifesta causa contingat. *Coac.* 143. *Praenot.* 139.

Qui subinde horrore corripiuntur, ad suppurationem deveniunt. Quin etiam febris talem ad suppurationem ducit. *Coac.* 422.

Quos febris detinet, si tremor absque iudicatione conquiescit, iis temporis successu abscessus cum dolore purulenti ad articulos decumbunt, & vesica dolet. *Coac.* 141.

Lassatis per febres, ad articulos, & circa maxillas maxime, abscessus fiunt. *Aph. IV.* 31.

CONVVLSIONIS.

In febribus tenuiter exsudantes, cum capitis dolore, & alvo intercepta, ad convulsiones proni sunt. *Praedict. I.* 115.

DO-

DOLORIS CAPITIS.

Quibus in febre urinae conturbatae, qualis iumentorum, his capitis dolores aut adſunt, aut aderunt. *Aph. IV.* 70.

DOLORIS ad COXAS.

Praecordiorum dolores in febre, aegro fari nequeunte, ſi abſque ſudore ſolvantur, malum indicant. His ad coxendices dolores decumbunt. *Coac.* 297.

DIARHOEAE.

Quibus hypochondria elevata ſunt, murmurantia, dolore lumborum ſuperveniente, his alvi humectantur, niſi flatus eruperint, aut urinae copia prodierit. In febribus autem haec. *Aph. IV.* 73. *Coac.* 291.

Quibus per febres ſanguinis copia undecunque eruperit, in refectionibus, his alvi humectantur. *Aph. IV.* 27. *Coac.* 153.

Quibus ructus adſunt, flatus, ventris ſonitus, cum inflatione, iis alvus exturbatur. *Coac.* 142.

DYSENTERIAE.

In febribus, venae quae eſt in cervice pulſatio, & dolor, rem ad inteſtinorum difficultatem deducit. *Coac.* 124.

ERYSIPELATIS in FACIE.

In febribus, ex praegreſſo dolore, rubores ad aures ſubnaſcentes, ignis ſacri in facie ſpem faciunt. *Coac.* 200.

HAEMORRHAGIAE.

Capitis gravitas, & dolor ſincipitis, cum pervigilio, vel etiam contenſionis ſenſu ad cervicem. *Coac.* 168.

Dolor capitis, viſus hebetudo, ſplendores oculis obverſantes, cum praecordiorum tenſione, abſque dolore, vel inflammatione. *Praenot.* 149.

Faciei rubor, & vehemens capitis dolor, cum venarum pulſu. *Coac.* 142.

Ex rigore febris, cum laſſitudinis ſenſu, & cervicis dolore. *Coac.* 555. *Praedict. I.* 142.

Quae contingunt in febre circa ventrem palpitationes, mentis emotiones adferunt. Quin & ſanguinis ex nari-

naribus profluvium, cum horroris sensu interdum adcedit. *Coac.* 298.

PROFLVVII MVLIEBRIS.

Ex rigore febris, cum lassitudinis sensu. *Coac.* 555.

PHRENITIDIS.

Quibus 3. die subsistit adcessio, & 4. ingravescit, malum denunciatur. Ac metus est, ne huiusmodi adcessiones phrenitim inducant. *Coac.* 79.

Vehementer & acute mente emoti, si febris iterum repetat, phrenitici evadunt. *Coac.* 95.

Qui in febribus, ad tactum nullum ardoris sensum prae se ferunt, phrenitici fiunt, idque magis, si sanguis fluxerit. *Coac.* 228.

VOMITVS.

Quos stomachi fastidia vexant, cum oris ventriculi morsu, & crebra sputatione, iis vomitio adfutura est. *Coac.* 142.

AD THERAPIAM.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, & aliis tali victu uti consuetis. *Aph.* I. 16.

Si quis febricitanti cibum det, convalescenti quidem, robur; aegrotanti vero, morbus fit. *Aph.* VII. 65.

His, qui per circuitus exacerbantur, nihil dare oportet, neque cogere, sed auferre de adpositionibus, ante iudicationes. *Aph.* I. 19.

Si febris, quae non est a bile, detineat, aqua multa, & calida in caput affusa, febris solutio fit. *Aph.* VII. 42.

FEBRIS CONTINVA ACVTA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas iuvenilis. *Aph.* III. 29.

Tempus aestivum. *Aph.* III. 21.

Aestas,

Aestas, post hiemem siccam, & aquiloniam, ver autem pluviosum, & austrinum. *Aph. III.* 11.

Autumnus aquilonius, & siccus. *Aph. III.* 14.

Siccitates. *Aph. III.* 7.

AD PROGNOSIN

NOTAE SALVTARES.

Convulsionem solvit febris succedens acuta, quae prius non aderat, aut si prius adfuit, ingravescens. *Coac.* 358.

Exscreationes, alvi egestiones, & urinae, probe secedentes. *Aph. IV.* 47. *VII.* 69.

Febres acutas, cum mentis perturbatione, in oris ventriculi dolore non bilioso, insania solvit. *Coac.* 550.

Alvi recrementum purum succedens, febrem acutam solvit, cum sudore. *Coac.* 649.

Morbi acuti effluente ex naribus sanguine, iudicatione absolvuntur, idque die iudicatorio; ac sudore copioso exorto, urinaque purulenta, ac vitrea affatim reddita, in qua quod subsidit, laudabile sit; aut abscessu effatu digno, & alvo mucosa, & sanguinea deiiciente, ac derepente prorumpente, vomitionibusque non pravis, sub iudicationem contingentibus. *Coac.* 150.

NOTAE LONGITVDINIS.

Vocis defectiones, cum virium exsolutione, & cum sudore. *Coac.* 256.

NOTAE PERICVLI.

Febres quaecunque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt, magis periculosae. *Aph. IV.* 43. *Coac.* 116.

In febribus acutis, convulsiones, & circa viscera dolores vehementes, malum. *Aph. IV.* 66.

In acutis affectionibus, quae cum febre sunt, luctuosae respirationes, malae. *Aph. VI.* 54.

Qui in febre non intermittente, tenuiter & crebro exsudant, cum praecordiorum distensione, ii utplurimum maligne habent; atque in his dolores in humeri caput, ac claviculas affixi, pravi sunt. *Coac.* 32.

NO-

NOTAE LETHALES.

Auris intenſus dolor, cum febre acuta, ac ceteris aliquanto gravioribus ſignis, *Coac.* 189.

Continens capitis dolor, cum gravibus aliis ſignis. *Coac.* 160.

Sudores frigidi, cum acuta febre evenientes. *Aph.* IV. 37.

In plurimis graveolentibus deiectionibus, cum febre acuta, praecordiorum contenſione, ex longo intervallo oborta ad aures tubercula, mortem adferunt. *Coac.* 201.

In non intermittentibus febribus, ſi externa quidem frigida ſint, interna vero urantur, & ſitim habeant, lethale. *Aph.* IV. 48. VII. 72.

In febre non intermittente, ſi labium, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus pervertatur, ſi non videat, ſi non audiat, corpore iam debili exiſtente, quicquid horum fiat, in propinquo mors eſt. *Aph.* IV. 49. VII. 73.

Si rigor incidat febri non intermittenti, debili iam exiſtenti aegro, lethale. *Aph.* IV. 46.

Vbi in febre non intermittente, difficultas ſpirandi, & delirium fit, lethale. *Aph.* IV. 50.

Qui in febre aſſidua defecti iacent, & oculis conniventibus nictantur, hi evadunt quidem, ſi poſt ſanguinis ex naribus fluxum, ac vomitum, ad loquelam, & ad ſe ipſos redeant. Sin vero ſecus accidat, cum ſpirandi difficultate celeriter intereunt. *Coac.* 77.

Vocis defectiones, cum virium exſolutione, in acuta febre, ſine ſudore, lethales. *Coac.* 256.

NOTAE ALIAE MORBI FVTVRI.

ABSCESSVS ad AVRES.

In bile redundantibus, magna ſpiratio, cum febre acuta, & praecordiorum contenſione. *Coac.* 126. 290.

In anhelatoribus, & ſuſpirioſis, febris poſtea acuta, cum praecordiorum contenſione perfrigeratis, magnum circa aures tumorem exſpectare oportet. *Coac.* 107.

CONVVLSIONIS.

In pueris acuta febris, cum alvi ſuppreſſione, & pervigi-

vigilio, calces velut iactare, ac colorem mutare, & ruborem contrahere, convulsionem minatur. *Coac.* 109.

INSANIAE.

In acuta febre aures obtusae, vehementem insaniam portendunt. *Coac* 195.

AD THERAPIAM.

Vbi peracutus est morbus, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu uti necesse est. Vbi vero non, sed plenius cibare licet, tantum a tenui recedendum, quantum morbus remissior extremis fuerit. *Aph. I.* 7.

Cum morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuissimo victu uti necesse est. *Aph. I.* 8.

CONF. FEBRIS in genere, MORBVS ACVTVS.

FEBRIS ARDENS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph. III.* 30.

Tempus aestivum. *Aph. III.* 21. *VIII.* 8.

NOTAE COMITANTES

Quibus diu tusses siccae, paulum irritantes, in febribus ardentibus, non admodum siticulosi sunt. *Aph. IV.* 54.

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

De febre ardente laborantibus, dies 14. aut allevando, aut perimendo decernunt. *Coac.* 137.

Febres ardentes, quae recurrere solent, 4. diebus de se significationem exhibent, deinde exsudant. Sin minus, die septimo, & undecimo. *Coac.* 136.

In febribus ardentibus tremores delirio solvuntur. *Coac.* 132. *Aph. VI* 26.

NOTAE SALVTIS.

Febrem ardentem succedens rigor solvit. *Coac.* 135. *Aph. IV.* 58.

NO-

NOTAE PERICVLI.

Alvus in febre ardente affatim prorumpens. *Coac.* 129.

Oculorum perversio, & distorsio, cum aliqua summi corporis refrigeratione, & egestionibus aquae similibus, & crebris; praecipue si alto quodam stupore detineantur. *Praedict. I* 81.

Sanguinis ex naribus fluxus, in febre ardente 4. die obveniens, malo est, nisi aliud quidpiam bene ceciderit. Quod si die 5. contingat, minus adfert periculi. *Coac.* 133.

NOTAE LETHALES.

Ex febre ardente, nisi qui circa aurem fit abscessus suppuret, non admodum liberantur. *Coac.* 138. 207.

Febris ardens ex laborioso ventris dolore, perniciem minatur. *Coac.* 130.

Quibus in febre ardente, tumores cum somnolentia, & torpore obveniunt, eos lateris dolor accedens, cum levi partis alicuius sideratione, necat. *Coac.* 60.

NOTAE MENTIS EMOTIONIS FVTVRAE.

In febre ardente laborantibus, si aurium sonitus, cum visus hebetudine, & ad nares gravitate accedant, nisi sanguis ex naribus profluat, furiosa & vehemens mentis emotio metuenda est. *Coac.* 131. *Praedict. I.* 18.

AD THERAPIAM.

Ad Causum, aliamque febrem, aqua coelestis per se sola exhibita, prodest. *De Morb. III.*

FEBRIS DIARIA. EPHEMERA.

In Bubonibus febres omnes malae, praeter ephemeras. *Aph. IV.* 55.

FEBRIS LIPYRIA.

Febres lipyriae, non nisi per choleram effusa bile, solvuntur. *Coac.* 120.

FEBRIS CONTINVA TERTIANA.

Febres quae proxime ad tertianarum naturam accedunt, cum incontinenti iactatione, malignae sunt. *Coac.* 33.

Febres, quaecunque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt, magis periculosae. *Aph. IV.* 43. *VII.* 62. *Coac.* 116.

Febres ad tertianarum naturam accedentes, vagae & errantes, ubi in dies pares transierint, molestiam exhibent. *Coac.* 37.

FEBRIS CONTINVA LENTA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas adolescentiae. *Aph. III.* 27.

Constitutio coeli pluviosa. *Aph. III.* 16.

NOTAE COMITANTES.

Sudores, qui non fiunt diebus iudicatoriis. *Aph. IV.* 36.

Quibus febricitantibus, in urinis subsidentiae fiunt crassiori farinae similes, longam infirmitatem significant. *Aph. VII.* 31.

AD PROGNOSIN.

Quibus febres longae, his tubercula ad articulos, aut dolores fiunt. *Aph. IV.* 44.

AD THERAPIAM

Lac dare convenit tabidis, non admodum valde febricitantibus, & in febribus longis, & languidis, si nullum signum repugnet, & praeter rationem quidem extenuatis. *Aph. V.* 64.

FEBRIS INTERMITTENS.

AD PROGNOSIN.

Febres quocunque modo intermittant, quod sine periculo sint, significat. *Aphor. IV.* 43. *VII.* 62. *Coac.* 117.

Intermittentes febres aliquando malignae evadunt, & in morbos acutos transeunt. *Epid. VII.*

Qui

Qui per febres intermittentes, inaequaliter incalescentes, alvum habent flatibus distentam, pauca transmittentem, iis post iudicationem lumborum dolore suborto, alvi prorumpunt. Qui autem ad manus contactum exardescunt, torpore, siti, ac corporis incontinenti iactatione vexantur, ii alvo intercepta gravati exsolvuntur. Interdum vero etiam praerubra in pedibus ambusta eadem denunciant. *Coac.* 158.

FEBRIS INTERMITTENS TERTIANA.

AD DIAGNOSIN.

Aestas ipsi obnoxia. *Aph. III.* 21.

AD PROGNOSIN.

Tertiana exquisita in septem ad summum circuitibus iudicatur. *Aph. IV.* 59.

Tertiana exacta quinto, aut septimo, aut ad summum nono circuitu terminatur. *Coac.* 148.

Qui in febribus tertianis ingravescunt dolores, tertianarum naturam assumunt, & sanguinis grumos per secessum egerunt. *Coac.* 123.

AD THERAPIAM.

Si tertiana febris detineat, siquidem post tres paroxysmos quartus corripiat, purgans per inferiora dato; sin autem purgante non egere videatur, Pentaphylli radices acetabuli quantitate in aqua tritas potui dato. Si vero sic non sedetur, ubi multa calida laverit, Trifolium & Silphii succum, cum vino, pari aqua admixta, propinato, reclinatumque stragulis contegito, donec sudet. *De Morb. II. XXXVIII.* 2. *ad* 7.

FEBRIS INTERMITTENS QVARTANA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus aestivum, & autumnale. *Aph. III.* 21. 22.

Quae febres intermittunt, incertoque ac vago ordine pre-

prehendunt, eae, autumno praecipue, in quartanam fere transeunt, idque in his fere maxime, qui trigesimum annum superarunt. *Coac.* 143.

AD PROGNOSIN.

Febrium omnium tutissima, placidissima, & longissima est quartana, quae & ab aliis magnis morbis liberat. *Epid. I III.* 17.

A quartanis correpti, a convulsione non admodum corripiuntur. Si vero prius corripiantur, & postea quartana supervenerit, liberantur. *Aph. V.* 70.

Quartanae aestivae plerunque fiunt breves: autumnales vero longe, & maxime quae prope hiemem incidunt. *Aph. II.* 25.

Hibernae quartanae fere in morbos acutos transeunt. *Coac.* 159.

Quibus, in febribus quartanis existentibus, sanguis ex naribus fluxerit, malum. *Aph. VIII.* 3.

AD THERAPIAM.

Si quartana apprehenderit, siquidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpositis 3. aut 4. diebus, pharmacum sursum purgans dato, in ipsa apprehensione. Et interpositis diebus, rursum aliud deorsum purgans dato, in ipsa apprehensione. Si vero ex his non sedetur, rursus interpositis diebus, multa calida lavato, & pharmaca, quae scripta sunt, dato. Potibus autem, & sorbitionibus, & reliqua diaeta utendum est, velut in tertiana. *De Affect. XIX.*

FEBRIS INTERMITTENS VAGA.

AD DIAGNOSIN.

Tempus autumnale obnoxium. *Aph. III.* 22.

AD THERAPIAM.

Febres inconstantes sinere oportet, donec consistant. *De Vict. acut.*

FISTV-

FISTVLAE.

Ex fiſtulis maxime moleſtiam adferunt, quae in cartilaginoſis, aut carne vacuis locis fieri ſolent, cavae ſunt, & longius excurrunt, aſſidueque ſanie manant, & in quarum oſculo caruncula ineſt, Facilius autem curantur, quae in mollibus, & carnoſis locis, & non nervoſis oriuntur, *Coac.* 511.

FLATVS.

AD DIAGNOSIN.

Icterici non admodum flatulenti ſunt. *Aph. V.* 72.

Flatus cum ſtrepitu prodiens, aegrum aliquo dolore vexari, aut delirare indicat, niſi aeger ſua ſponte hoc modo flatum emiſerit. *Praenot.* 68. *Coac.* 495.

AD PROGNOSIN.

Flatum ſine ſonitu, ac crepitu exire, optimum. *Praenot.* 68. *Coac.* 495.

Praeſtat tamen cum ſtrepitu prodire, quam iſthic revolvi. *Praenot.* 68. *Coac.* 495.

In febribus, alvo a flatibus diſtenta, flatum non erumpere, malum. *Coac.* 44.

Quibus ructus adſunt, flatus, ventris ſonitus, cum inflatione, iis alvus exturbatur. *Coac.* 142.

FLOCCOS LEGERE, vid. GESTVS.
FLVOR ALBVS, vid. VTERI FLVOR.
FLVXVS MENSTRVVS, vid. MENSTRVA.

FLVXIONES.

AD DIAGNOSIN.

Fluxiones fiunt, & perfrigerata carne, & excalefacta, & pertumefacta. *De Loc. in hom. XV.* 3.

Fluxiones ex capite ſeptem ſunt: per aures, per oculos, per nares, per palatum in fauces, in ſtomachum, per vaſa in medullam ſpinalem, atque in ſanguinem. *De Glandul. VIII. Loc. in hom. XVIII.*

Cum aestate, vel autumno, ex capite calida, & nitrosa fluxio deciderit, mordet, exulcerat, spiritu implet, & orthopnoeam parit. *De Vict. acut.*

AD PROGNOSIN.

Mulieri fluxione laboranti, ad nares, aut os, fluxionem transire, bonum *De Morb. I. VI* 12.

In naturis ad tabem prompte comparatis, si cum febre fluxiones ad gingivas, & dentes compareant, malum denunciant. *Coac.* 441.

A fluxione retro ad vertebras, & in carnes, hydrops. *De Loc. XVIII.* 9.

A fluxione in medullam, tabes occulta. *Ibid.* 8.

In gravidis salsuginosae ad fauces fluxiones, malum denunciat. *Coac.* 537.

Praegnantibus fluxiones, cum serpentibus oris ulceribus, malo sunt. *Coac.* 539.

AD THERAPIAM.

Fluxioni ex capite vomitus conducit. *De Loc. XLVII.* 2.

FOEMINA. MVLIER.

Mulier ambidextra non fit. *Aph. VII.* 43.

Mulier non laborat podagra, nisi menses ipsi defecerint. *Aph. VI.* 29.

CONF. CONCEPTIO. STERILITAS.

FOETVS.

AD DIAGNOSIN.

Foetus, mares quidem in dextris, foeminae vero in sinistris magis. *Aph. V.* 48.

Mulier praegnans, siquidem marem gestat, bene colorata est, si vero foeminam, male colorata. *Aph. V.* 42.

Cum extremae foetus partes evolutae sunt, tunc etiam movetur; tempus autem ad hoc, masculo tres menses, foemellae quatuor. *De Nat. puer. XX.*

Quo tempore foetus movetur, mammae etiam attolluntur, & papillae turgescunt, nec tamen lac prodit. *Ibid.*

Mu-

Mulieri in utero gerenti, si multum lactis ex mammis fluxerit, infirmum foetum significat. Si vero solidae fuerint mammae, saniorem foetum significat. *Aph. V.* 52.

Si mulieri in utero gerenti purgationes prodeant, foetum sanum esse impossibile. *Aph. V.* 60.

Foetus corruptionem debilitas, & febris vehemens, & cibi fastidium comitatur. *De Morb. Mul. I. XXXVII.* 6.

AD PROGNOSIN.

Quae perditurae sunt foetus, his mammae graciles fiunt. Si vero rursus durae fiant, dolor erit, aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus, & non perdunt. *Aph. V.* 53.

Impossibile est vitalem esse puerum, octavo mense natum. *De partu sept. & oct.*

Ex septimestribus quidam inter multos supersunt. *De part. septim.*

GEMELLI.

Praegnantibus molestiam exhibent, qui circa tenue intestinum contingunt tumores, quales circa extremas osculi uteri oras, cum erectae cervicis spirationis difficultate, eveniunt. Quin etiam fortassis huiusmodi tumores, gemellorum partum praenunciant, aut forte convulsiones indicant. *Coac.* 539.

CONF. ABORTVS, CONCEPTVS, GRAVIDITAS, MAMMAE.

FOMENTA.

Solvunt oculorum dolores. *Aph. VI.* 31.

Fomenta calida dolorem leniunt. *De Flat. XIV.* 4. 5.

Fomentorum optimum est aqua calida, in utre, vel vesica, aut spongia mollis & magna, ex aqua calida expressa. *De Vict. acut.*

FRACTVRA, vid. OSSA, CRANIVM.

FRIGIDVM.

EIVS VSVS.

In his autem frigido uti oportet, unde sanguis erumpit, aut erupturus est, non super ipsa, sed circa haec, unde influit. Et quaecunque inflammationes, aut flammei ardores, ad rubrum & sanguineum colorem vergentes novo sanguine, super ipsos: nam inveteratos nigrefacit: erysipelas etiam non exulceratum iuvat, quoniam exulceratum laedit. *Aph. V.* 23.

Tumores in articulis, & dolores absque ulcere, & podagricos, & convulsiones, horum plurima, frigida multa affusa & levat, & attenuat, & dolorem solvit. Torpor enim modicus doloris solvendi vim habet. *Aph. V.* 25.

Est vero, ubi in tetano sine ulcere, iuveni bene carnoso, aestate media, frigidae multae affusio, caloris revocationem facit. Calor autem haec solvit. *Aph. V.* 21.

EIVS NOXA.

Frigidum, inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullae: calidum vero, utile. *Aph. V.* 18.

Frigida, velut nix, glacies, pectori inimica, tusses movent, sanguinis eruptiones, ac catarrhos inducunt. *Aph. V.* 24.

Frigidum autem, convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles affert. *Aph. V.* 17.

Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem non suppurantem facit, nigrores, rigores febriles, convulsiones, & tetanos. *Aph. V.* 20.

FRIGVS CORPORIS.

AD DIAGNOSIN.

Qua corporis parte inest calor, aut frigus, ibi morbus est. *Aph. IV.* 39.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

In morbis acutis, extremarum partium frigus, malum. *Aph. VII.* 1.

A dolore vehementi partium circa ventrem, extremarum frigus, malum. *Aph. VII* 26.

Caput, manus, & pedes frigere, ventre & lateribus calentibus, malum. *Praenot.* 46. *Coac.* 492.

NOTAE LETHALES.

Totius corporis perfrigeratio, cum rigiditate. *Praedict. I.* 77. *Coac.* 3.

Frigus cum ſudore, in omni ſuperflua purgatione. *Coac.* 568.

Externa quidem frigida, interna vero urentia, cum ſiti, in febribus non intermittentibus. *Aph. IV.* 48. *Coac.* 115.

Aures frigidae, pellucidae, contractae. *Aph VIII.* 14.

Labia livida, aut etiam reſoluta, & inverſa, & frigida. *Aph. VIII.* 13.

Teſtis dexter frigidus, & convulſus. *Aph. VIII* 11.

Vngues nigri, & digiti manuum ac pedum frigidi, contracti, vel remiſſi. *Aph. VIII.* 12.

NOTAE CONVVLSIONIS FVTVRAE.

Poſteriorum partium frigus convulſionem provocat. Ac omnino poſteriorum partium refrigeratio, convulſionem minatur. *Coac.* 7. *Praedict. I.* 67.

PERFRIGERATIO.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

Qui poſt ſanguinis ex naribus eruptionem, ex tenuibus ſudoribus perfrigeſcunt, male habent. *Coac.* 40. 342.

Qui in diebus iudicatoriis, cum angore, & incontinenti corporis iactatione, absque ſudore perfrigerantur, atque omnino qui ſine ſudore perfrigerantur, citra iudicationem, male habent. *Coac.* 38. *Praedict. I.* 61.

Qui ex ſudoribus perfrigerantur, ac celeriter recaleſcunt, male habere iudicantur. *Coac.* 52.

In humecta alvo, perfrigeratio cum ſudore, vitioſa. *Coac.* 647.

Ex

Ex rigore perfrigerationes, quae ad calorem non revocantur, malae sunt. *Praedict. I. 65.*

Ex sanguinis eruptionibus, vehementes diebus iudicatoriis obvenientes perfrigerationes, pessimae. *Coac.* 326.

Corporis iactationes, & incontinentiae, cum perfrigeratione, pessimae. *Coac.* 2.

Vrinarum ex perfrigeratione interceptiones, pessimae. *Coac.* 5.

NOTAE LETHALES.

Somni, quales sopore oppressis, & totius corporis perfrigerationes, perniciem ostentant. *Coac.* 181.

Qui ex rigore perfrigeratione detinentur, cum capitis, ac cervicis dolore, vocis defectione, ac tenui sudore, ii, ubi vires resumpserint, ac sese velut recollegerint, moriuntur. *Coac.* 1.

Quibus adsunt superiorum partium tenues sudores cum perfrigerationibus, nec sine febre, ii corporis incontinentia, & phrenitide vexati, praeceps periculum denunciant. *Coac.* 69.

NOTAE CONVVLSIONIS FVTVRAE.

Ex perfrigeratione metus, ac animi abiectio, praeter occasionem, in convulsionem tendit. *Coac.* 4.

Cervicis, ac dorsi perfrigerationes, convulsiones portendere videntur, ac multo magis, quae totum corpus pervadunt, in quibus mictiones membranularum speciem praeseferunt. *Coac.* 83.

AD THERAPIAM.

In corporis perfrigeratione, cum torporis sensu, sanguinis detractio, mala est. *Coac.* 343.

FRONS.

Frontis dolores in aegris palpantibus, & more investigantium sensim contrectantibus, aut dolore affectis, si increscunt, molestiam exhibent. *Coac.* 267.

Vultus bene coloratus, tetricus, ac superciliosus, in mor-

morbo acuto, malo est. Insuper frons contracta, phrenitidem denunciat. *Coac.* 213.

FVROR vid. MANIA.

GANGRAENA.

Quaecunque corrupta torpescunt, evulsa vena ulcerato, ac sanato, *Epid. II. V.* 36.

GEMELLI, vid. FOETVS.

GENA.

Eius pars tenuis dissecta, neque augetur, neque coalescit. *Aph. VI.* 19. *Coac.* 504.

GENITALIA.

Eorum putredo aestate accidit. *Aph. III.* 21.

Quibus, in tumorem sublato ventre, pudendum rubor occupavit, muliebribus purgamentis albis, humidis, subito procedentibus, diuturnis febribus intereunt. *Coac.* 530.

GENVVM DOLOR.

Genuum, & Coxendicum dolor tempestivus, &c. febres solvit. *Coac.* 152.

In gravidis, si mammae e gracilibus rursus durae fiant, dolor in genibus, &c. superveniens, metu abortus liberat. *Aph. V.* 53.

In febre convulsio, manuumque ac pedum dolores, malignum quiddam praenunciant. *Coac.* 30.

GENVVM GRAVITAS.

Non febricitantibus si fiat tormen; & Genuum gravitas, & lumborum dolor, deorsum purgante opus esse indicat. *Aph. IV.* 20.

GESTVS.

In febribus acutis, aut peripneumoniis, aut phrenitide, aut capitis doloribus, quae ante faciem feruntur,

tur, frustra venari, & festucas colligere, aut floccos e vestibus evellere, & ex pariete paleas carpere, malum & lethale. *Praenot.* 17.

GIBBOSITAS.

AD DIAGNOSIN.

Interdum a phrenitide nascitur. *Epid. V. XXII.* 4. *VII. XXXVII.* 1.

AD PROGNOSIN.

Spirandi difficultatem parit. *De Artic. XXXVII.* 6.

Pulmonum tubercula dura, & cruda. *Ibid.* 11.

Gibbositas supra diaphragma, pectus acutum reddit, cum spiritu difficili, & stridula faucium asperitate. *De Artic. XXXVII.* 5.

Gibbositas infra diaphragma, nonnullis morbos renum & vesicae, vel etiam abscessus creat. *De Artic. XXXVIII.* 1.

Gibbosi vix ultra 60. annos vivunt. *Vect. XXXI.* 8.

Qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt ante pubertatem, pereunt. *Aph. VI.* 46.

GINGIVAE.

AD DIAGNOSIN.

Quibus lienes magni, iis gingivae vitiantur, & os graveolet. *Praedict. II.* 163.

Pueris ad dentitionem accedentibus, gingivarum pruritus, molesti. *Aph. III.* 25.

AD PROGNOSIN.

Moderatus capitis dolor, cum inexhausta siti, aut sudore febrim non solvente, gingivarum abscessus, aut parotides denunciat, nisi alvus erumpat. *Coac.* 173.

Dentis sideratio abscessum ad gingivas enatum solvit. *Coac.* 236.

In naturis ad tabem prompte comparatis, si cum febre fluxiones ad gingivas, & dentes compareant, malum denunciant. *Coac.* 441.

San-

Sanguis ex gingivis cum humecta alvo profluens, perniciem minatur. *Coac.* 241. 648.

AD THERAPIAM.

Gingivarum tumor, ac dolor, venaesectione & alumine aegyptio sedatur, In principio. *Epid. V. XXVII.* 1. *VII. XXXV.* 1. 2. 3.

GLANDVLAE.

Glandulae non admodum aegrotant, sed cum reliquo corpore patiuntur. Cum autem proprio laborant morbo, tubercula nascuntur, & strumae, & febris corpus afficit. *De Gland.*

In febribus ex Glandularum tumoribus dolores, morbi diuturnitatem praenunciant. *Coac.* 73.

GRAVEDO.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus vernale, & hiemale. *Aph. III.* 20. 23.

Aestas sicca & aquilonia, dein autumnus pluviosus, & austrinus. *Aph. III.* 13.

Autumnus aquilonius, & siccus. *Aph. III.* 14.

Frigus. *De Vet. med. XXXI.* 18.

AD PROGNOSIN.

Quibus dolores capitis & frontis contingunt, tum ex ingentibus ventis, tum ex frigore, post vehementem aestum, eos gravedines potissimum quidem omnino liberant. *Praedict. II.* 148.

Raucedines, & gravedines, in valde senibus non concoquuntur. *Aph. II.* 40.

In omnibus pulmonis morbis, gravedines & sternutationes, tum praeire, tum subsequi, malum. *Praenot.* 93. *Coac.* 399.

GRAVIDITAS. IMPRAEGNATIO.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE COMITANTES.

Quae in utero gerunt, harum os uteri clausum est. *Aph. V. 51.*

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente, cibi autem fastidia ipsi accidant, hanc in utero gerere putato. *Aph. V. 61.*

Mulierem si velis cognoscere, an praegnans sit, ubi dormitura est, (incoenatae) aquam mulsam bibendam dato. Et siquidem tormen habeat circa ventrem, praegnans est; si vero minus, praegnans non est. *Aph. V. 41.*

Oculi cavi, album eorum livescens, cibi fastidium, ventriculi morsus, & salivatio frequens. *De Superfoet.*

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Quibus praegnantibus tabi opportunis, faciei rubor exoritur, hunc stillationes e naribus avertunt. *Coac.* 524.

Quae puellae erectae cervicis spiratione vexantur, iis uterum gerentibus mammae pus colligunt. Muliebria purgamenta circa initia apparere, malum. *Coac.* 549.

NOTAE PERICVLI.

In utero gestantibus, capitis dolores, qui cum sopore, gravitate, & convulsione fiunt, utplurimum malo sunt. *Coac.* 517. 534. *Praedict. I.* 103.

Vterum gerentibus praecordiorum dolor, malum denunciat. His etiam alvi euntes, & rigore subinde corripi, malo est. Ventris dolor, si limosa expurget, in huiusmodi levius malum indicat. Quae ex his faciles partus habent, eae postea vehementer anguntur. *Coac.* 523.

Praegnantibus fluxiones cum serpentibus oris ulceribus, malo sunt. Hae convulsionibus, exsolutionibus, postea perfrigerationibus tentatae, celeriter calefiunt. Quin etiam praegnantibus molestiam exhibent, qui circa te-

nue

nue intestinum contingunt tumores, quales circa extremas uteri osculi oras, cum erectae cervicis spirationis difficultate, eveniunt. Quin etiam fortassis huiusmodi tumores gemellorum partum praenunciant, aut forte convulsiones, tumores huiusmodi indicant. *Coac.* 539 529.

Quae ante partionem in modum cholerae morbi affliguntur, faciles quidem partus edunt. Febre autem tentatae, maligne habent, tum vero praecipue, si quid fauces vexet, aut in febre maligni aliquid appareat. *Coac.* 535.

In uterum gerentibus, salsuginosae ad fauces fluxiones, malum denunciant. *Coac.* 537.

NOTAE LETHALES.

Si mulieri praegnanti erysipelas in utero fiat, lethale. *Aph. V.* 43.

Mulierem in utero gerentem, ab acuto aliquo morbo corripi, lethale. *Aph. V.* 30.

Praegnantibus salsuginosa, post partum molestias ex albis mordacibus denunciant. Purgationes huiusmodi duritiem adferunt. In his singultus malo est, & uterorum procidentia, quae & una interficit. *Coac.* 526.

AD THERAPIAM.

Praegnantes purgandae, si materia turgeat, quadrimestres, & usque ad septimum mensem: hae vero minus. Iuniores autem, & seniores foetus, caute vitare oportet. *Aph. IV.* 1. *V.* 29.

Si praegnans intumescat, urticae semen quamplurimum, cum melle, & vino odorato, aqua temperato, bis in die in potu exhibendum. *De Morb. Mul.*

GRAVITAS CORPORIS.

Gravitas, quae totum corpus, vel manus, ac pedes premit, vitiosa est. Quod si cum gravitate, digiti quoque ac ungues lividi fiant, in propinquo mors est, *Coac.* 493.

GVTTVR.

Eo praefecto spiritus attrahi non potest, sed per praefectam partem exhalat. *De Princip. XIX.* 29.

HABITVS CORPORIS.

CRASSVS.

In exercitantibus, boni habitus ad summum progressi, periculosi, si in extremo fuerint. *Aph. I.* 3.

Qui natura sunt valde crassi, magis subito moriuntur, quam graciles. *Aph. II.* 44.

Quae praeter naturam crassae existentes, non concipiunt in utero, his omentum os uteri comprimit, & priusquam attenuentur, praegnantes non fiunt. *Aph. V.* 46.

In omnibus morbis, quae partes ad umbilicum & imum ventrem sunt, crassitudinem habere, melius est. *Aph. II.* 35.

GRACILIS.

Quae praeter naturam tenues existentes in utero gerunt, abortiunt, priusquam crassescant. *Aph. V.* 44.

Pallidis, gracilibus, & crebra oris salivatione laborantibus, in somnis sudores boni sunt. *Coac.* 271.

In omnibus morbis, quae partes ad umbilicum, & imum ventrem sunt, tenues & eliquatas habere, malum. Periculosum vero illud est, etiam ad infernas purgationes. *Aph. II.* 35.

Graciles, & facile vomentes, sursum purgandi, vitantes hiemem. *Aph. IV.* 6.

HAEMOPTYSIS.

AD DIAGNOSIN.

Aetas iuvenilis ipsi obnoxia. *Aph. III.* 29.

Qui sanguineum spumosum expuunt, his ex pulmone talis reiectio fit. *Aph. V.* 13.

Qui spumantem sanguinem evomunt, partibus infra septum nequaquam dolentibus, iis ex pulmone fertur. *Coac.* 433.

AD

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Sanguinem spuitione reiicientibus, sine febre esse conducit, ac tussi, & dolore leviter conflictari, sputumque ad dies 14. tenuari. *Coac.* 427

Reiectio sanguinis parcior, a minoris venae pulmonalis ruptione. *Coac.* 433.

Quaecunque mammarum dolore ex febribus vexantur, eas sanguinis concreti spuitio non foeculenta, dolore liberat. *Coac.* 553.

DETERIORIS NOTAE

Intense febricitare, ac tussire, aut dolere, sanguinemque recentem semper spuere, minime conducibile. *Coac.* 427.

Quibus insignis in pulmone venae ruptio fit, copiosus sanguis vomitione reiicitur, periculumque imminet. *Coac.* 433.

Qui spumantem sanguinem spuitione reiiciunt, cum praecordiorum dextrorum dolore, iis ex iecinore prodit, & plerumque pereunt, *Coac.* 408. 450.

A sanguinis sputo, puris sputum, malum. *Aph.* *VII.* 15.

Sanguis sursum quidem, qualiscunque sit, malum, Deorsum vero, bonum, niger subtus secedens. *Aph.* *IV.* 25.

HAEMORRHAGIA IN GENERE.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus vernale. *Aph.* *III.* 20.

Calidum. *Aph.* *V.* 16.

Frigidum. *Aph* *V* 24.

NOTAE ANTECEDENTES.

Variae *Praedict.* *I.* 132. & *seqq.*

Capitis dolor, cum alto stupore, & oculis praerubris. *Coac.* 166.

Cervicis dolor, & oculi praerubri. *Praedict.* *I.* 137.

Praecordia tumida, dura, ac dolentia, cum febre, cum dolore capitis, & oculorum hebetudine, idque circa 35. aetatis annum; in fenioribus vero non item. *Coac.* 280.

Quos febris detinet, cum faciei rubore, & capitis vehementi dolore, in iis, fi venae pulfent, fanguinis fluxus plerumque expectandus eft. *Ibid.* 142.

Venae temporum in febribus pulfantes, & facies bene habita, abfque praecordiorum mollitie. *Ibid.* 128.

Lumborum dolores fanguinis profluvium excitant. *Ibid.* 306.

Ex lumborum dolore, liberales funt, & largae fanguinis fluxiones. *Ibid.* 307.

Quibus lumborum dolor in caput recurfat, & manus torpore affectae, ac oris ventriculi dolorem fentiunt, aut aurium fonitus, ii liberaliter fanguinem profundunt. *Coac.* 308. *Praedict. I* 139.

Quibus in morbis fubita fit mentis perculfio, cum inquieta corporis iactatione, iis fanguinis eruptionem fore fpes eft. *Coac.* 184.

Palpitationes circa ventrem, cum praecordiorum contenfione oblonga, & intumefcente, vel etiam horroris fenfu. *Praedict. I.* 144.

Infomnia, cum fubita corporis iactatione, & inquietudine, praefertim fi non antea quid profluxerit. *Praedict. I.* 136.

Quibus ubi inhorruerint, iudicatorii fimul fudores contingunt, poftridie vero, fi horror repetierit, & temere pervigilent, absque concoctione, iis forte fanguinem erupturum, fperare oportet. *Coac.* 24.

AD PROGNOSIN.
MELIORIS NOTAE.

Spinae perverfionem, & fpirandi difficultatem, fanguinis fluxus liberat. *Coac.* 311.

Quibus capitis, & cervicis dolor, & totius corporis impotentia, cum tremore adeft, ab iis fanguinis eruptio

ptio liberat. Quin etiam ista tempore dissolvuntur. *Praedict. I.* 152.

Liberalium ab initio sanguinis eruptionum cursum, rigor sistit. *Praedict. I.* 150.

NOTAE PERICVLI.

A sanguinis fluxu delirium, aut etiam convulsio, malum. *Aph. VII.* 9.

Sanguine multo effuso, convulsio, aut singultus superveniens, malum. *Aph. V.* 3. *Coac* 338.

A forti pulsu in ulceribus, sanguinis eruptio, (malum.) *Aph. VII.* 21.

Sanguinis eruptiones vehementes, cum totius corporis perfrigerationibus iudicatoriis, pessimae sunt. *Praedict. I.* 134. *Coac.* 326.

A sanguinis eruptione, nigrorum per alvum egestio, malo est. Quin & praerubrae, ac aeruginosae deiectiones, damno sunt. *Coac.* 330. 333. *Praedict. I.* 127.

In praecipitibus malis, quae post paucam sanguinis eruptionem, surditas obvenit, malum denunciat. In his sanguinis egestio perniciem adfert, surditatem tamen discutit. *Praedict. I.* 129. Aut nigrorum per alvum refusionem. *Coac.* 331.

NOTAE LETHALES.

Quibus (cum deiectionibus nigris, vel praerubris, vel aeruginosis,) sanguinis eruptiones die 4. contingunt, tandem sopore, & convulsione conflictati moriuntur, praegressis nigris deiectionibus, & ventre in tumorem sublato. *Coac.* 330. *Praedict. I.* 127.

Qui ex vulnere subinde rigentes, sanguinem profundunt, ii maligne habent, ac inter loquendum derepente moriuntur. *Coac.* 328.

Humescente alvo, sanguis ex gingivis effluens, lethalis. *Coac.* 648.

NOTAE ALIAE MORBI FVTVRI.

ALVI MALE AFFECTAE.

Quibus sanguinis fluxus diu perseveravit, in his tempo-

ris processu, alvus male habet, nisi urinae concoctionem praeseferant. *Praedict. I.* 133. *Coac.* 332.

Quibus per febres sanguinis copia undecunque eruperit, in refectionibus, his alvi humectantur. *Aph. IV.* 27. *Coac.* 153. 335.

Quibus die 5. liberales sanguinis profusiones contingunt, & 6. novo oborto rigore corripiuntur, 7. perfrigerationibus tentati celeriter recalescunt, iis alvi male afficiuntur. *Coac.* 329.

MORBI COMITIALIS.

Qui statis temporibus sanguinem fundunt, si siticulosi sint, neque sanguinem profuderint, comitiali morbo pereunt. *Coac.* 345.

PHRENITIDIS.

Qui in febribus ad tactum nullum ardoris sensum praeseferunt, phrenitici fiunt, idque magis, si sanguis fluxerit. *Coac.* 228.

AD THERAPIAM.

Frigido uti oportet, unde sanguis erumpit, aut erupturus est: non super ipsa, sed circa haec, unde influit. *Aph. V.* 23.

Quae perfrigerata sunt, excalefacere oportet, praeterquam quae sanguinem profundunt, aut sunt profusura. *Aph. V.* 19.

Quibus copiosi sanguinis facta est egestio, his lac dare, malum. *Aph. V.* 64.

Haemorrhagiam sistunt, animi deliquium, partis situs, venae interceptio, linamentum contortum, appositio, deligatio. *Epid. VI.*

HAEMORRHAGIA ALVI, vid. ALVI DEIECTIO SANGVINEA.

HAEMORRHAGIA NARIVM.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas adolescentiae. *Aph. III.* 27.

Quae

Quae caput concutiant, & aurium ſonitum excitant; *Praedict. I.* 143.

NOTAE ANTECEDENTES.

Aurium ſonitus, cum viſus hebetudine, & ad nares gravitatis ſenſu, mentis exceſſum, ac ſanguinis ex naribus profluvium praeſagiunt. *Coac.* 194.

In febre acuta, continens capitis dolor, ſine gravibus aliis ſignis, ſi 20. dies ſuperat, aut ſanguinis ex naribus, aut puris effluxum, aut abſceſſus ad inferiores corporis partes, denunciat. *Coac.* 160.

Qui capite gravati, ad ſynciput dolorem ſentiunt, pervigilio torquentur, iis ſanguinis eruptionem fore ſpes eſt, tum vero praecipue, ſi aliquis contenſionis ſenſus ad cervicem pertingat. *Coac.* 168. *Praedict. I.* 135.

Qui ſurditate, cum capitis gravitate, ac praecordiorum contenſione vexantur, ſi oculorum acies perturbatur, in iis ſanguinis e naribus fluxum ſperare oportet. *Coac.* 195.

Qui ſtatim ſine ratione perturbantur, pervigilio torquentur, nigra & compacta ex alvo demittunt, interdum ſanguinem e naribus profundunt. *Coac.* 110.

Quibus ex rigore febris, cum laſſitudinis ſenſu adeſt, in his muliebrium profluvium expectare oportet. Quod ſi cervicis dolor prehenderit, ſanguinis e naribus eruptionem fore ſpes eſt. *Coac.* 555.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

Quibus ſpes eſt abſceſſum fore ad articulos, eos abſceſſu liberat urina multa, craſſa, & alba, &c. ſi vero etiam ex naribus ſanguis eruperit, brevi admodum ſolvit. *Aph. IV.* 74.

Morbi acuti, effluente ex naribus ſanguine, die iudicatorio, abſolvuntur, &c. *Coac.* 150.

Caput laboranti, & circumcirca dolenti, pus, aut aqua, aut ſanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures, ſolvit morbum. *Aph. VI.* 10.

Sanguis ex naribus effluens, ſolvere poteſt auris intenſum dolorem, cum febre acuta, &c. *Coac.* 189.

Praecordia non mollia, & facies bene habita, non niſi liberali ſanguinis ex naribus profluvio, aut convulſione, aut coxendicum dolore, ſolutionem accipiunt. *Ibid.* 296.

Tenebricoſas vertigines circa initia, ſanguinis ex naribus fluxio ſolvit. *Ibid.* 341.

Quibus in febres aures obſurduerint, his ſanguis e naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum ſolvit. *Aph.* IV. 60. *Coac.* 210.

Qui in febre continua defecti iacent, & oculis conniventibus nictantur, hi evadunt quidem, ſi poſt haemorrhagiam narium, ac vomitum, ad loquelam, & ad ſeipſos redeant. *Coac.* 77.

Qui ſtatim ſine ratione perturbantur, pervigiles ſunt, ſanguinem e naribus ſtillantes, ſexto die noctu allevantur, poſtridie vero laborantes, tenui ſudore correpti, & in ſomnum delati delirant, iis larga narium haemorrhagia morbum ſolvit. *Coac.* 87.

Febricitare incipientibus, ſanguinis ſtillationes, cum ſternutatione accedentes, & quod in urina deſidet album, 4. die viſum, ſeptimo ſolutionem affore denunciant. *Coac.* 149.

Mulieri, menſtruis deficientibus, e naribus ſanguinem fluere, bonum. *Aph.* V. 33.

NOTAE PERICVLI.

Perpuſillae ſanguinis e naribus ſtillae, damno ſunt. *Coac.* 57.

Sanguinis e naribus ſtillationes, quae 11. die contingunt, moleſtiam adferunt, tum vero praeſertim, ſi bis ſanguis ſtillarit, aut rurſus nares ſtillare coeperint. *Coac.* 337.

Sanguinis ex parte adverſa profluvium, malum eſt, velut ſi in lienis tumore, ex dextra nare effluat. Et circa praecordia idem ſpectari oportere, exiſtimandum eſt. *Coac.* 327. *Praedict.* I. 125.

San-

Sanguinis ex naribus fluxus, in febre ardente, 4. die obveniens, malo eſt, niſi aliud quippiam bene ceciderit. Quod ſi die 5. contingat, minus adfert periculi. *Coac.* 133.

Laſſitudine laborantes cum horrore, iudicii modo leviter exſudantes, celeriter ad calorem revocati, male habent: tum vero praeſertim, ſi iſta inſuper ſanguinem e naribus ſtillarent, &c. *Coac.* 36.

Qui poſt ſanguinis ex naribus eruptionem, ex tenuibus ſudoribus perfrigeſcunt, male habent. *Coac.* 40. 342. *Praedict. I.* 126.

NOTAE LETHALES.

Diuturnis in morbis, parvae apparentes ſanguinis ex naribus fluxiones, perniciem oſtentant. *Coac.* 340.

Parvi in longis morbis aurium tumores, ſi ſubinde ſanguis e naribus profluat, & tenebricoſa vertigo excitetur, exitio ſunt. *Coac.* 105.

NOTAE CONVVLSIONIS FVTVRAE.

Largae ſanguinis ex naribus eruptiones, per vim ſuppreſſae, interdum convulſiones accerſunt, unde liberat venaeſectio. *Coac.* 336.

HAEMORRHAGIA VVLNERVM, vid. VVLNVS.

HAEMORRHOIDES.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph. III.* 30.

Muliebrium purgamentorum retentio. *Coac.* 522.

Sputorum retentiones in tabeſcentibus. *Coac.* 437.

NOTAE ANTECEDENTES.

Lumborum dolores. *Coac.* 306. 621.

Dolentibus lumbis, ſi oris ventriculi dolor acceſſerit, futurae per haemorrhoidas vacuationis ſignum eſt, aut etiam eam praeceſſiſſe ſignificat. *Coac.* 312. *Praedict. I.* 130.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Insanientibus, si varices, aut haemorrhoides supervenerint, insaniae solutio fit. *Aph. VI.* 21.

Melancholicis, & nephriticis, haemorrhoides supervenientes, bonum. *Aph. VI.* 11.

Melancholicis, & phreniticis supervenientes. *De Iudication.* 64.

In sideratis succedentes haemorrhoides, utiles, &c. *Coac.* 478.

Sanguis niger subtus secedens, bonum, &c. *Aphor. IV.* 25.

Qui habent haemorrhoidas, nec pleuritide, nec peripneumonia, nec ulcere depascente, nec furunculis, nec pustulis nigris corripiuntur, forte nec etiam lepra, nec vitiliginibus nigris. *De Humor.* 74.

DETERIORIS NOTAE.

Ex venis in ano sanguinem fundere solitis aliquantum apparentibus, tenebricosae vertigines obortae, parvam ac sensim factam partium resolutionem indicat, ex quo liberat venaesectio. Et quicquid huiusmodi apparere solet, mali aliquid denunciat, *Coac.* 346.

AD THERAPIAM.

Haemorrhoidas curanti diuturnas, nisi una servata fuerit, periculum est, ne hydrops superveniat, aut tabes. *Aph. VI.* 12.

HEPAR.

Hepati inflammato singultus supervenit. *Aph. V.* 58.

Ab hepatis inflammatione singultus, malum. *Aph. VII.* 17.

In ictericis hepar durum fieri, malum. *Aph. VI.* 42.

Quibus hepar aqua repletum ad omentum eruperit, his venter aqua impletur, & moriuntur. *Aph. VII.* 55.

Cui persectum est hepar, lethale, &c. *Aph. VI.* 18.

Qui ad hepar suppuratum uruntur, (aut secantur) siquidem purum effluat pus, & album, superstites eva-

dunt:

dunt: ipsis enim pus est in tunica. Si vero effluat velut amurca, pereunt. *Aph. VII.* 45. *Coac.* 451.

HEPATIS DOLOR.

Quibus hepar circumcirca dolet, his febris superveniens dolorem solvit. *Aph. VII.* 52. *Coac.* 449.

Quibus hepar dolet, cum oris ventriculi dolore, sopore, rigore, ii, alvo exturbata, cum corporis extenuatione, ciborum fastidio, multis tenuibus sudoribus diffluunt, & purulenta per alvum demittunt. *Coac.* 448.

HEPATICI.

Hepatico colliquatio cum raucedine, malum portendit, idque praecipue, si cum quadam tussi contingat. *Coac.* 447.

Hepaticis sputum multum cruentum, sive intus subputridum, sive sincere biliosum fuerit, statim perniciem denotat. *Coac.* 446.

HERPES.

Herpetes ex his, quae depascendo serpunt, minimum habent periculi; at secundum abditos cancros difficilius tolluntur. *Praedict. II.* 76.

Calidum herpetibus exedentibus confert, &c. *Aph. V.* 22.

HOMO.

Totus homo ex nativitate morbus est. *Epist. ad Damag. II.* 279.

HORROR. HORRIPILATIO.

AD DIAGNOSIN.

CAUSAE ANTECEDENTES.

Anni tempus aquilonium. *Aph. III.* 5.

AD PROGNOSIN.

DETERIORIS NOTAE.

A sudore horror, non bonum. *Aph. VII.* 4.

Cre-

Crebri ex dorso horrores, subinde locum commutantes, graves sunt, & difficiles. Laboriosam quippe urinae suppressionem minantur. His tenuiter exsudare pessimum. *Coac.* 8.

Qui subinde inhorrescunt, ex capite laborantes, tenuiter exsudantes, ii maligne habent. *Coac.* 12.

Qui subinde inhorrescunt, saepe tenui sudore corripiuntur, difficili morbo laborant. *Coac.* 13.

LETHALIS.

Horror, cum lumborum doloribus ad os ventriculi recursantibus, cum febre, tenuium & aquosorum vomitione, delirio, vocis defectione, tandem nigrorum vomitione. *Coac.* 316.

ALIVM MORBVM PORTENDENS.

ALVI FLVXVM.

Qui subinde inhorrescunt, ac incontinenti corporis iactatione, cum lassitudinis sensu, & lumborum dolore conflictantur, iis alvi effunduntur. *Coac.* 19.

CONVVLSIONES.

Membranosae mictiones, & quae cum horrore subsidunt. *Coac.* 584.

HAEMORRHAGIAM.

Post horrorem iudicatorii sudores, postridie horror praeter rationem recurrens, absque pervigilio, & concoctione. *Coac.* 24.

Post horroris sensum insomnia, cum subita corporis iactatione, & inquietudine. *Coac.* 111.

MVLIEBRES PVRGATIONES.

Horror frequens, cum lassitudine, & capitis gravitate. *Coac.* 541.

SVPPVRATIONEM.

Qui per sanitatem crebro inhorrescunt, ii ex sanguinis fluxu purulenti evadunt. *Coac.* 16.

Qui subinde horrore corripiuntur, ad suppurationem deveniunt. Quin etiam febris talem ad suppurationem ducit. *Coac.* 422.

TA-

TABEM.

Vbi horror in malis subinde incidit, cum difficultate spirandi, tabes denunciatur. *Coac.* 17.

AD THERAPIAM.

Horrorem, vinum par pari aqua potum, solvit. *Aph.* *VII.* 56.

CONF. FRIGVS. RIGOR.

HVMERI DOLOR.

Humerorum dolores, qui ad manus tendunt, torporesque & dolores exhibent, abscessus certe non consequuntur, at bilis atrae vomitione sanantur. *Praedict.* *II.* 172.

Eos autem, qui in humeris perdurant, & ad dorsum pertingunt, puris, aut atrae bilis vomitione effugiunt. *Praedict.* *II* 173.

In facile spirantibus, & extenuatis, vomitio nigrae bilis; in difficulter spirantibus autem, si in faciem color subruber, aut niger, antea non visus, subvehitur, puris expuitio magis speranda. *Praedict.* *II.* 174.

HYDROA, vid. SVDAMINA.

HYDROPS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Autumnus. *Aph.* *III.* 22.

Dysenteria longa in lienosis. *Aph.* *VI.* 43.

Haemorrhagiae nimiae. *Epid.* *VI.* *IV.* 29.

Haemorrhoides diuturnae curatae, nisi una servata fuerit. *Aph.* *VI.* 12.

Leucophlegmatiae hydrops supervenit. *Aph.* *VII.* 74.

Spirationes, quae non nisi erecta cervice ducuntur, hydropem siccum faciunt. *Coac.* 424.

Febris ardens. *Epid.* *VII.* *XIII* 9.

Morbus acutus. *Praenot.* 42. *Coac.* 452.

NO-

NOTAE ANTECEDENTES.

Quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor; qui neque purgante, neque aliter solvitur, in hydropem siccum firmatur. *Aph. IV.* 11. *Coac.* 304.

Morosis alvus perturbata, exigua reddens, geniturae similia, & mucosa, doloremque ad imum ventrem inferentia, urinae quoque non facile prodeuntes, ad hydropem tendunt, ex huiusmodi casibus. *Coac.* 455.

NOTAE COMITANTES.

Hydrops oritur fere ex laterum inanitate, & lumbis, partimque ex iecore. *Praenot.* 43. *Coac.* 452.

Vbi a laterum inanitate ortum contraxit, pedum tumor, & alvi diuturnus fluxus consequitur, neque ventrem emollit, neque lumborum, aut ilium tumorem solvit. *Coac.* 452. *Praenot.* 44.

Quibus e iecore proficiscitur, ii prompte etiam tussi vexantur, pedes intumescunt, & alvus nonnisi dura, & aegre reddit, tumoresque modo dextra, modo sinistra parte ventris oriuntur, ac rursus desinunt. *Coac.* 452. *Praenot.* 45.

Quibus ex aliqua aegritudine hydrops circumvenit, iis alvi resiccatae caprinis stercoribus similia deiiciunt, cum mucosa eliquatione, neque laudabili urina. Praecordiorum autem distentiones, ventris dolores, ac tumores, & circa laterum inanitates, ac spinae musculos, dolores incidunt. Febres quoque, sitis, & tusses siccae comitantur, & ad motiones spirandi molestia, & crurum gravitas. Cibos etiam aversantur, paucisque sumptis explentur. *Coac.* 481.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

Viscera valida, vires vegetae, facile concoquere, bene spirare, sine dolore esse, totum corpus aequaliter calere, neque extremis partibus colliquefactum esse, neque tussim, neque sitim adesse, neque linguam inarescere, cibos suaviter assumere, ac ubi quis abunde

come-

comederit, nihil affligi; ventrem medicamentis celeriter moveri, alias mollia & figurata excernere; urinam pro ingeftorum ratione mutari; defatigationem facile fuftinere, nec laffitudinem fentire. *Praedict. II.* 39.

Ab hydrope detento, fi aqua fecundum venas in alvum fluxerit, folutio fit. *Aph. VI.* 14. *Coac.* 461.

Aquae inter cutem initio, aquofum alvi profluvium, absque cruditate exortum, morbum folvit. *Coac.* 457.

Ab infania dyfenteria, aut hydrops, aut mentis emotio, bonum. *Aph. VII.* 5.

NOTAE PERICVLI.

Hydropi hiems magis infefta. *Aph. VIII.* 8.

Hydropicis tuffis fuperveniens, malum. *Aph. VI.* 35. *VII.* 47.

Hydropicis ulcera in corpore orta, non facile fanantur. *Aph. VI.* 8.

Vbi hydrops ficcus de fe fignificationem praebet, tormina ad tenue inteftinum incumbentia, malum denunciant, *Coac.* 458.

In hydrope ficco, urina ftillatim effluens, malum denunciat. Mala quoque eft, quae exigua habet fedimenta. *Coac.* 453.

NOTAE LETHALES.

Notae falutaribus oppofitae. *Praedict. II.* 40.

Aqua inter cutem, quae ex acuto morbo coepit, moleftiam ac perniciem affert. *Coac.* 452. *Praenot.* 42.

Hyprops ex longa dyfenteria ortus, in lienofis. *Aph. VI.* 43.

Quibus hepar aqua repletum ad omentum eruperit, his venter aqua impletur, & moriuntur. *Aph. VII.* 55.

Aqua inter cutem quae curationi ceffit, ubi recurrit, fpem tollit. *Coac.* 460.

Ex aqua inter cutem, morbus comitialis perniciem adfert. *Coac.* 459. 454.

Aqua inter cutem laboranti, cum febre, urina pauca, & conturbata, perniciem denotat. *Coac.* 456.

Qui fuppurati, aut hydropici uruntur, aut fecantur, hi

hi pure aut aqua acervatim effluente, omnino moriuntur. *Aph. VI.* 27.

AD THERAPIAM.

Hydropicum, si a principio acceperis, priusquam aqua superexcrescat, pharmaca bibenda dato, a quibus aqua, aut pituita purgatur; bilem vero ne moveto. Cibos autem, & potus, & labores, ac deambulationes constituito, a quibus gracilis ac siccus evadat, & carnes quam robustissimae fiant. *De Affect. XXIII.* 12. *ad* 15.

Si a pharmacis, & alia victus ratione, aeger utilitatem percipiat, & venter ipsius evacuetur, bene est. Sin minus, sectione facta aquam emittito. Secatur autem vel iuxta umbilicum, vel retro iuxta lumbos. Effugiunt autem & hinc pauci. *Ibid. XXIII.* 24. *ad* 27.

HYDROPS PECTORIS, ET PVLMONIS.

AD DIAGNOSIN.

Si hydrops in pulmone fiat, febris & tussis tenet, & acervatim respirat, & pedes tument, & ungues contrahuntur omnes, & patitur talia, qualia is qui suppuratus fit, sed debilius, ac diuturnius. *De Morb. II LIX.* 1. *ad* 7.

Fit etiam, si tubercula in pulmone fuerint enata, & aqua repleta, & in pectus rupta. *De Int. Affect. XXV.* 9.

AD PROGNOSIN.

Si post sectionem adhibitam, linamento pus adhaeserit quinta die, plerumque evadit. Sin minus, ubi aquam exhauseris, sitis corripit, & tussis, & moritur. *De Morb. II. LIX.* 27. 28.

AD THERAPIAM.

Hydrope pulmonis affectum, si extra intumuerit, inter costas sectum curare oportet. *De Morb. II. LIX.* 19. 20.

Si non intumuerit, multa calida lotum, velut suppuratos collocato, & qua parte strepitum perceperis, ea seca-

secato, quam potes infimo loco, quo effluxio facilis contingat. Postquam secueris, linamentum ex lino crudo indito, ita ut crassum & acutum linamentum facias, & sanguinem paucissimum emittas. *Ibid.* 21. *ad* 26.

HYDROPS VTERI.

Si aqua intercus in uteris nascatur, menses pauciores & pravi fiunt, & ante tempus deficiunt, & imus venter intumescit, & mammae solidae, molles fiunt, & lac malum, & putat se in ventre habere. *De Morb. Mul. I. LXXXV.* 1. *ad* 4.

HYEMS, vid. ANNI TEMPVS.

HYPERCATHARSIS. SVPERPVRGATIO.

AD PROGNOSIN.

In omni superflua purgatione, frigus cum sudore exitiale. Et inter haec, qui subinde vomunt, & siticulosi sunt, male habent. Qui vero anxietate laborant, cum lumborum dolore, iis alvus humectantur. *Coac.* 568.

Purgationi immodicae convulsio, aut singultus superveniens, malum. *Aph. V.* 4. *VII* 41.

Convulsio ex elleboro, lethale. *Aph. V.* 1. *Coac.* 567.

AD THERAPIAM

Quum quis a medicamenti potu superaegrotarit, & inferne, ac superne ab ipso secesserit, vinum sorbeat, primum quidem dilutum, deinde meracum frequenter, & sanabitur. *De Loc. in hom. XLV.* 1. 2.

HYPOCHONDRIA. PRAECORDIA.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Praecordia, sine ullo doloris sensu, aequaliter mollia esse oportet. *Coac.* 279.

DETERIORIS NOTAE.

Praecordia inflammatione tentata, aut inaequaliter affe-

cta, aut dolore vexata, non contemnendae aegritudinis notas praeseferunt. *Coac.* 279 280.

Praecordiorum pulsus cum turbatione mentem emovet, idque praecipue, si oculi frequenter moveantur. *Coac.* 282.

Dextrum hypochondrium durum, in febre, cui morbus regius supervenit. *Aph.* IV. 64.

HYPOCHONDRIORVM SEV PRAECORDIORVM DOLOR.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Quibus ad hypochondrium dolores fiunt, absque inflammatione, his febris superveniens solvit dolorem. *Aph.* VI. 40.

Quos derepente, absque febre, praecordiorum, aut oris ventriculi dolor, aut crurum, & inferiorum partium, affligit, alvusque intumescit, venaesectio, aut alvi fluxus solutionem adfert. *Coac.* 294.

Qui praecordiorum doloribus, oris ventriculi, iecoris, ac earum, quae sunt circa umbilicum, partium, conflictantur, cruenta alvi deiectione liberantur. *Coac.* 295.

DETERIORIS NOTAE.

Oris ventriculi dolor, ac praecordiorum pulsus, cum febre, in qua totus corporis habitus perfrigeratur, malum denunciant; idque praesertim, si cum tenuibus sudoribus contingunt. *Coac.* 283.

Ingruentes ad praecordia dolores, cum alias pravi sunt, tum vero, si alvos profundant. Deteriores autem, si parvo tempore fiant. Quin & inde suborta ad aures tubercula, aliaeque suppurationes, malignitatem praeseferunt. *Coac.* 284.

Quibus praecordia dextra dolent, aut ex virore pallescunt, aut abscessus ad aures cum dolore excitantur, in his paulo post effusa alvus periculum denunciat. *Coac.* 578.

Praecordiorum dolores in febre, aegro fari nequeunte, si abs-

si absque sudore solvantur, malum indicant. His ad coxendices dolores incumbunt. *Coac.* 297. *Praedict.* *I.* 90.

Quae ad praecordia, aut pulmonem, dolores faciunt, si in pus vertuntur, malum denotant. *Coac.* 216.

Vterum gerentibus praecordiorum dolor, malum denunciat, &c. *Coac.* 523.

Praecordiorum dolor, cum rigore, & alvi perturbatione, in puerperiis, cum lochiorum subsistentia. *Coac.* 516.

LETHALIS.

In praecordiis ex longo intervallo afflictis, & graveolente alvo, subnatum ad aures tuberculum, mortem adfert. *Coac.* 292.

Dolores praecordiorum, oris ventriculi, iecoris, ac partium circa umbilicum, nisi cruenta alvi deiectione solvantur. *Coac.* 295.

Dolores in febre ad praecordia assilientes, sine sudore soluti, maligni sunt. In his dolores ad coxendices, cum ardente febre, atque alvus affatim erumpens, perniciem ostentant. *Coac.* 299.

Praecordii dolor citra iudicationem, cum impotentia, & torpore obveniens, in angina. *Coac.* 374.

Circum praecordia labores, in aegris una cum febre cibum fastidientibus, &c. *Coac.* 317.

ALIVM MORBVM PORTENDENS.

PAROTIDES, ac forte CONVVLSIONEM.

Praecordiorum dolor, cum sopore, corporis inquietudine, frequenti & pauca sputatione. *Coac.* 185.

PHRENITIDEM.

An praecordiorum dolor, cum insomnia, sopore ab initio, &c? *Coac.* 179.

SANGVINIS ERVPTIONEM.

Ex praecordiorum doloribus, alvus aliquantum viscida paulatim transmittens, stercoracea pauca effundit, ac fortassis sanguinem profundit. *Coac.* 293.

HYPOCHONDRIORVM TENSIO.

AD PROGNOSIN.

DETERIORIS NOTAE.

Praecordia intro tracta, & tensa. *Coac.* 51.

Praecordiorum distensio, cum tenui & crebro sudore; vel etiam doloribus in humeri caput, ac claviculas affixis, in febre non intermittente. *Coac.* 32.

LETHALIS.

Praecordiorum contensio, cum febre acuta, plurimis graveolentibus deiectionibus, & ex longo intervallo obortis ad aures tuberculis. *Coac.* 201.

ALIVM MORBVM PORTENDENS.

ABSCESSVM ad AVRES.

Praecordiorum contensio, cum febre acuta, & magna spiratione, in bile redundantibus. *Coac.* 126.

PAROTIDES.

Praecordiorum contensio, cum febre acuta, & perfrigeratione, in anhelatoribus, & suspiriosis. *Coac.* 107.

Praecordiorum contensio, cum sopore, & incontinenti corporis iactatione, & capitis dolore. *Coac.* 289.

HAEMORRHAGIAM NARIVM.

Praecordiorum contensio, cum surditate, & capitis gravitate, si oculorum acies perturbatur. *Coac.* 195.

PHRENITIDEM.

Praecordia revulsa, in praecipiti morbo, cum capitis dolore, nisi sanguis ex naribus profluat. *Coac.* 119.

HYPOCHONDRIORVM TVMOR.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Praecordiorum dolores, & tumores, recentes quidem, & sine inflammatione, murmur solvit circa praecordia exortum, idque potissimum, si cum stercore, urina, & flatu prodierit. Alioqui ubi ipsum per se

trans-

transmissum fuerit, iuvat; idque magis, si ad inferiores sedes descenderit. *Praenot.* 69

Praecordiorum molles, & doloris expertes tumores, longiore spatio finiuntur, nec ita grave periculum afferunt. *Coac.* 281. *Praenot.* 35.

Quibus hypochondria elevata sunt, murmurantia, dolore lumborum superveniente, his alvi humectantur: nisi flatus eruperint, aut urinae copia prodierit. In febribus autem haec. *Aph.* *IV.* 73.

DETERIORIS NOTAE.

Tumor in praecordiis durus, & dolens, pessimus quidem, ubi tota praecordia occuparit. Sin vero altera parte sit, minore cum periculo sinistra *Praenot.* 32.

Praecordia sublata, subsistente alvo, malum denunciant, praecipue vero in his, qui ex longo intervallo contabescunt, & quibus alvi diffluunt. *Coac.* 287. 442.

LETHALIS.

Praecordiorum tumores duri, ac dolentes, circa principia quidem mortem brevi affore, indicant. *Praenot.* 33. *Coac.* 280.

Quibus praecordia inflammatione tentantur, & pus colligunt, iis sub mortem nigra deiiciuntur. *Coac.* 288.

ALIVM MORBVM PORTENDENS.

PAROTIDES.

Ex praecordiorum tumore, spiratio magna, & febris acuta, in biliosis. *Coac.* 290.

SVPPVRATIONEM.

Praecordiorum tumor durus, ac dolens, si intra 20. dies non subsidat, neque febris quiescat. *Praenot.* 33. *Coac.* 280.

Tumores praecordiorum molles, & doloris expertes, digitisque cedentes, si intra 60. dies neque febris cesset, neque tumor subsidat. *Praenot.* 35. *Coac.* 281.

AD THERAPIAM.

Quibus hypochondria elevata sunt, murmurantia, iis lac dare, malum. *Aph.* *V.* 64.

HYSTERICA AFFECTIO.

AD DIAGNOSIN.

Plurimas uteri affectiones flatus faciunt. Signum sunt ructus, & strepitus circa ventrem, & lumborum tumores, & dolores circa renes, ac coxas. *Epid. VII. XXXIV.* 12.

AD PROGNOSIN.

Mulieri ab uterina passione vexatae, aut difficulter parienti, sternutatio superveniens, bonum. *Aph. V.* 35.

In uteri strangulatu, non antea expertae convulsiones, faciles sunt. *Coac.* 349 554. *Praedict. I.* 119.

AD THERAPIAM.

Ad affectiones uteri confert, aromatum p. 1. farinae p. 2. in vino odorato albo coquere, & linteolo illita, cataplasmatis modo imponere, qua parte ventris dolores ab utero affligunt. *Epid. VII. XXXIV.* 13.

Si cor strangulatur, ab utero reprimitur, & spiritus habet, & anhelatio: viticis & poeoniae semen in vino bibere oportet; aut abrotanum, & panaces, & ammoniacum; aut rutam; aut somnificium papaveris succum. *De Morb. Mul. II. LXXX.* 1 *ad* 6.

IACTATIO. INCONTINENTIA.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

Corporis iactationes, & incontinentiae, cum perfrigeratione, pessimae. *Coac.* 2.

Qui in gravibus malis tenuiter exsudant, & quadam corporis incontinentia iactantur, male habent. *Coac.* 53.

Qui per febres intermittentes, ad manus contactum exardescunt, torpore, siti, ac corporis incontinenti iactatione vexantur, ii alvo intercepta gravati exsolvuntur. Interdum vero etiam praerubra in pedibus ambusta, eadem denunciant. *Coac.* 153.

Corporis aestuatione, & inquieta iactatione conflictati, citra

citra vomitum ingravescentes, male habent; atque etiam qui vellicantur citra vomitum. *Coac.* 557.

NOTAE LETHALES.

In praecipitibus malis, tenues circa caput maxime sudores oboriri, & corporis incontinentia quadam iactari, malum indicat; tum vero praecipue pernicies intenditur, si ista cum urinis nigris contigerint, & spiritus magnus, & concitatus adfuerit. *Coac.* 49.

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

CONVVLSIONIS.

In praecipitibus malis, corporis motio, iactatio, ac turbulentus somnus, nonnullis convulsionem portendit. *Coac.* 82.

HAEMORRHAGIAE NARIVM.

Qui insomnia vexantur, cum subita corporis iactatione, & inquietudine, iis sanguinem e naribus erupturum sperare oportet, idque praesertim, si quid antea profluxerit. Animadvertendum vero, num in modice perfrigeratis, id post horroris sensum contingat. *Coac.* 111.

SECESSVS NIGRI.

Considerandum est, in aestuabundis, & corporis iactatione citra vomitum, & lumborum dolore conflictatis aegris, si audacter desipuerint, num nigra per secessum proditura sint? *Praedict.* I. 85.

ICTERVS. MORBVS REGIVS.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE ANTECEDENTES.

Spumans, & bile obductum alvi recrementum, vitio est. Quin & inde morbus regius contrahitur. *Coac.* 606.

Frequentes, & ex parvis intervallis desidendi labores, aliquantulum glutinosa excernentes, cum paucis stercoraceis, praecordiorum & lateris dolore, morbum regium praenunciant. *Coac.* 621.

Qui lumborum, & lateris dolore, absque ulla occasione tentantur; ii in morbum regium incidunt. *Coac.* 325.

NOTAE COMITANTES.

Icterici non admodum flatulenti sunt. *Aph. V.* 72.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Quibus in febre die 7. aut 9. aut 11. aut 14. morbus regius supervenit, bonum est: nisi dextrum hypochondrium durum sit. *Aph. IV.* 64. *Coac.* 121.

DETERIORIS NOTAE.

In ictericis hepar durum fieri, malum. *Aph. VI.* 42.

Icterus in febre, cum dextro hypochondrio duro. *Aph. IV.* 64. *Coac.* 121.

Quibus in febre morbus regius supervenit ante septem diem, malum est; (nisi confluxus humorum per alvum fiant.) *Aph. IV.* 62. *Coac.* 121.

Morbus regius, cum surditate, urinis praerubris, non subsidentibus, & sublimamentis, ac mentis emotione. *Praedict. I.* 32. *Coac.* 198.

Ex morbo regio fatuitas, & stupiditas, malo est. *Praedict. I.* 32. *Coac.* 198.

In morbo regio affectis, nec admodum sentientibus, quibus singultus adest, iis alvus effunditur, forte vero etiam supprimitur; atque hi cum virore pallescunt. *Coac.* 490.

Alvi recrementum candicans, stercorosum, in morbo regio molestiam exhibet; ac liquidum etiam, ubi resederit, ruborem adeptum. *Coac.* 613.

LETHALIS.

Lassitudine laborantes cum horrore, iudicii modo leviter exsudantes, celeriter ad calorem revocati, male habent; tum vero praesertim, si ista insuper sanguinem e naribus stillarent. Circa haec aurigine admodum foedati, & largius colorati, moriuntur, iisque album alvi recrementum prodit. *Coac.* 36.

Qui

Qui vehementer efflant, & reflexis sunt palpebris, ac per somnum leviter suspiciunt, aurigine admodum foedati, & largius colorati moriuntur. In his album alvi recrementum praecedit. *Coac* 64.

AD THERAPIAM.

Morbum regium sic curare oportet: Extrinsecus quidem corpus molliendum est balneis calidis; alvus vero, & vesica humectanda, & urinam cientia danda. Si vero fortis fuerit, purgato capite, pharmacum quoddam potandum dato, quod bilem deorsum purgat. Postea vero urinam cientibus utendum est. *De Affect.* XXXIII

IEIVNIVM, vid. FAMES.

IGNORANTIA.

In rigore familiares non agnoscere, & eorum, quae gesta sunt, oblivisci, malum indicat. *Praedict. I.* 64. *Coac.* 6.

ILEVS. VOLVVLVS.

AD DIAGNOSIN.

Tempus autumnale ipsi obnoxium. *Aph. III.* 22.

Volvulus cum apprehenderit, venter durus fit, & nihil secernit, & dolor inferne omnem alvum tenet, & febris, & sitis. Aliquando vero prae dolore, aeger etiam bilem vomit. *De Affect. XXII.* 1. 5.

AD PROGNOSIN.

PERICVLOSVS.

Ab ileo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut delirium, malum. *Aph. VII.* 10.

In tenuioris intestini morbo laborantibus, vomitio, & surditas, malo sunt. *Coac.* 470.

LETHALIS.

Quibus ex urinae stillicidio volvulus supervenit, in 7. diebus pereunt, nisi febre superveniente, urina abunde fluxerit. *Aph. VI.* 44. *Coac.* 475.

AD

AD THERAPIAM.

Humectare oportet intrinsecus, & extrinsecus; & multa calida lavare; & bibenda dare, quae alvum movent, & urinam subducunt; & clysterem adhibere, si admittat. Si vero non admiserit clysterem, fistulam ad utriculi extremitatem alligato, & insufflando multum flatum immittito. Et ubi intestinum & venter elevata fuerint a flatu, exemta fistula, statim infusum per clysterem immittito. Et si susceperit, secessum emittet, & sanus evadet. Si vero sic non susceperit infusum, moritur maxime 7. die. *De Affect. XXII. 6. ad 13.*

IMBECILLITAS.

Febricitantium corpus magis quam pro ratione colliquefieri, malum est, & infirmitatem indicat. *Aph. II.* 28.

Qui temere, ac praeter rationem nulla existente vasorum inanitione, impotentes fiunt, ii male habent. *Coac.* 54. *Praedict. I.* 40.

IMPETIGO.

AD DIAGNOSIN.

Tempus vernale ipsi obnoxium. *Aph. III.* 20.

Ex pituita nascitur. *De Affect.*

AD THERAPIAM.

Ad impetiginem & lepram confert aqua calcis ita temperata, ut non exulceret. *Epid. II.*

IMPOTENTIA GENERANDI, vid. CONCEPTIO.

INEDIA, vid. FAMES.

INFLAMMATIO.

Febrim comitem habet. *De Flat. VII.* 2.

Inflammationem, aut dolorem partium principalium, indicat spiratio frequens, & parva. *Coac.* 260.

Qui sanguinem evomunt, cum febre multa, dolore ad mam-

mammam, thoracem, & dorſum, &c. ad ſummum diebus 14. inflammationem concipiunt. *Coac.* 426.

INGVEN.

AD DIAGNOSIN.

Cum inflammatione inguinum, abſceſſus & febris. *De Flat VII.* 4.

Vlcera ſerpentia ſupra inguina, ad laterum inanitatem, & pubem enata, alvum male affectam ſignificant. *Coac.* 628.

A retenta purgatione menſtrua, circa inguen tuberculum ſuppurans, in mulieribus. *De Nat. puer. VII.* 17.

AD PROGNOSIN.

Vulnera venis craſſis, in collo, & inguinibus inflicta, lethalia. *Praedict. II.* 68.

INQVIETVDO, *vid. IACTATIO*.

INSANIA, *vid. MANIA*.

INSOMNIA.

Diurnis actionibus congrua, ſanitatis ſignum. *De Inſomn. III.* 1. *ad* 6.

Diurnis actionibus adverſa, turbationis in corpore ſignum. *De Inſomn. III.* 7. *ad* 9.

In ſomnis ſolem & lunam, & coelum atque ſidera pura, & ſuo motu agitata videre, bonum: ſanitatem enim indicat. *Ibid.*

Si in ſtagno, aut mari, aut fluminibus natare, quis ſomniet, bonum non eſt, cum humiditatis abundantiam indicet; febricitanti vero bonum. *Ibid.*

Fluviorum tranſitus, hoſtes armati, monſtra difformia, morbum aut furorem praeſagiunt. *Ibid.*

INTESTINA TENVIA.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

Vbi hydrops ſiccus de ſe ſignificationem praebet, tormina

mina ad tenue inteſtinum incumbentia, malum denunciant. *Coac.* 458.

Quibus ex muliebribus purgamentis, dolores intenſi ad ſuperiorem ventris partem, & tenuius inteſtinum excitati, alvos humectant, & levem anxietatem inducunt, his ad iudicationem, in ſomnum propenſiones fiunt, & impotentes ex capitis dolore, cum tenuibus ſudoribus, & perfrigerationibus vexantur. Huiusmodi recidivae, plurimis poſt remiſſionem obortae, celeriter interimunt. *Coac.* 518.

NOTAE LETHALES.

Si ex inteſtinis tenuibus aliquod diſſectum fuerit, non coaleſcit. *Aph. VI.* 24. *Coac.* 503.

Cui perſectum eſt aliquod ex inteſtinis tenuibus, lethale. *Aph. VI.* 18.

Ex laterum inanitate, ad tenue inteſtinum migrantes dolores, in diuturnis morbis, ex abortione, neque admodum purgata muliere, perniciem denunciant. *Coac.* 515.

Lumborum ac tenuioris inteſtini diuturni dolores, & circum praecordia labores, in aegris una cum febre cibum faſtidientibus, eos dolor intenſus ad caput progreſſus, non ſine convulſionis ſpecie, celeriter interficit. *Coac.* 317.

NOTAE HYDROPIS FVTVRI.

In bilioſis perturbata alvus, pauca crebro reddens, & cum paucis mucoſis diſtentionem facientia, oborto circa tenue inteſtinum dolore, nec facile prodeunte urina, ex his caſibus in aquam intercutem tendit, *Coac.* 644.

INTESTINVM RECTVM.

Eius inflammationi urinae ſtillicidium ſupervenit. *Aph. V.* 58.

IRA.

Ira praeceps cor & pulmones in ſe contrahit, & ad caput calorem, & humorem trahit. Animi autem tranquillitas cor relaxat. *Epid. VI.*

Anhelantes clamore, & iracundia abſtinere oportet. *Ibid.*

ISCHIADICVS DOLOR, vid. COXA.

ISCHVRIA. VRINAE RETENTIO.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE ANTECEDENTES.

Crebri ex dorſo horrores, ſubinde locum commutantes, graves ſunt, & difficiles. Laborioſam quippe urinae ſuppreſſionem minantur. His tenuiter exſudare, peſſimum. *Coac.* 8. 46.

AD PROGNOSIN.

MALA.

Veſica intercepta, maximeque cum capitis dolore, convulſionem quandam minatur. *Coac.* 588. *Praedict. I.* 120.

Derepente obortus renum dolor, cum urinae ſuppreſſione, calculorum, & urinae craſſae mictionem indicat. *Coac.* 589.

Vrina intercepta, & ad imum ventrem pondus, utplurimum futurum urinae ſtillicidium denunciat: ſin minus, alium aliquem morbum ex conſuetudine affligentem. *Coac.* 591.

LETHALIS.

Inillioſis urina intercepta, mortem brevi affore ſignificat. *Coac.* 592.

IVVENTVS, vid. AETAS.

LABIA.

Contractum labrum bilioſae alvi perruptionem denunciat. *Coac.* 240.

Si labrum pervertatur, aut corrugetur, aut liveſcat, aut palleſcat, cum alio aliquo ſigno, mortem in propinquo eſſe, ſciendum eſt. *Praenot.* 6.

Le-

Lethale quoque, labra resoluta, pendentia, frigida, & exalbida esse. *Praenot.* 7.

Cum labra exulcerantur, tunc fere desinunt febres. *Epid.* VI.

LABOR, vid. MOTVS.

LAC.

EIVS VSVS.

Lac omne quidem nutrit, verumtamen ovillum alvum sistit, caprillum vero magis alvum laxat; vaccinum minus; equinum, & asininum alvum magis movet. *De Diaet.* II.

Lac dare convenit tabidis, non admodum febricitantibus, & in febribus longis, & languidis, nullo ex contrariis signis praesente; & praeter rationem extenuatis. *Aph.* V. 64.

EIVS NOXA.

Lac dare capite dolentibus, malum. Malum vero etiam febricitantibus, & quibus hypochondria elevata sunt, murmurantia, & siticulosis. Malum autem & quibus deiectiones biliosae, & qui in acutis sunt febribus; & quibus copiosi sanguinis facta est egestio. *Aph.* V. 64.

LAC MAMMARVM.

AD DIAGNOSIN.

Si mulier, quae nec praegnans est, nec peperit, lac habeat, ei menstrua defecerunt. *Aph* V. 39.

Mulieri in utero gerenti, si multum lactis ex mammis fluxerit, infirmum foetum significat, &c. *Aph.* V 52.

Mulieribus, quae denso corpore sunt, tardius lac gignitur: iis vero, quae rariore sunt habitu, citius. *De Nat. puer.*

Quae parca menstrua habent, utplurimum sine lacte sunt. *De Nat. puer.* XL. 19.

AD THERAPIAM.

Si lac mulieri deficiat, porrum & brassicam comedat, & hor-

& hordeum decorticatum, una cum butyro coctum, & refrigeratum bibat. *De Morb. Mul.*

LASSITVDO.

AD DIAGNOSIN.

Spontaneae laſſitudines morbos denunciant. *Aph. II. 5.*

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Laſſitudo cum ſopore, & ſurditate, dein alvo erumpente, & ad iudicationem rubra demittente. *Coac.* 182.

Laſſitudo in febribus, cum urina multa, & craſſa, & alba, die 4. reddita. *Aph. IV.* 74.

DETERIORIS NOTAE.

Laſſitudine conflictati aegri, ſingultuoſi, & alto ſtupore detenti, male habere ſignificantur. *Coac.* 45.

Laſſitudine laborantes, cum horrore, iudicii modo leviter exſudantes, celeriter ad calorem revocati, male habent, &c. *Coac.* 36.

Delaſſati aegri, caligine obducti, pervigiles, & ſopore detenti, cum tenui ſudore recaleſcentes, male habent. *Coac.* 35.

Laſſitudinis ſenſus, cum lingua praeter rationem molli reddita, ac nauſeabunda, cum ſudore frigido, alvo liquida, & nigra vomitione. *Coac.* 232.

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

MVLIEBRIS PROFLVVII.

Ex rigore febris, cum laſſitudinis ſenſu. *Coac.* 555.

ALVI FLVXVS.

Laſſitudinis ſenſus, cum horrore frequenti, incontinenti corporis iactatione, & lumborum dolore. *Coac.* 19.

ABSCESSVS ad ARTICVLOS, & MAXILLAS.

Febres laſſatoriae. *Aph. IV.* 31.

HAEMORRHAGIAE NARIVM.

Ex rigore febris, cum laſſitudinis ſenſu, ſi cervicis dolor prehenderit. *Coac.* 555.

IN-

INSANIAE.

An lassitudo, cum dolore capitis, siti, pervigilio, loquela obscura, impotentia ad motum, & humescente alvo? *Coac.* 175.

AD THERAPIAM.

In omni corporis motu, quando dolere coeperit, interquiescere statim lassitudinem curat. *Aph.* *II.* 48.

LATERIS DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus hiemale. *Aph.* *III.* 23.

Constitutio aquilonia. *Aph.* *III.* 5. 17.

Tumores ulcerum in antica parte, repente evanescentes. *Aph.* *V.* 65.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

In dolore lateris, sanguinis e naribus stillatio, mala est. *Coac.* 405.

NOTAE LETHALES.

Cum febre lateris dolor accedens, alvi deiectiones aquoso-biliosae, dein cibi fastidium, sudores, facies bene colorata, alvus humescens, & oris ventriculi dolor. *Coac.* 67.

Quibus in febre ardente, tumores cum somnolentia, & torpore obveniunt, eos lateris dolor accedens, cum levi partis alicuius sideratione necat. *Coac.* 60.

Dolor in pectore fixus, cum torpore, suborta febre malum indicat, iique celeriter mortem appetunt. *Coac.* 315.

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

ICTERI.

Lumborum & lateris dolor, absque ulla occasione. *Coac.* 325.

PHRENITIDIS.

Lateris dolor citra inflammationem, cum turbulentis, tenuibus, moderatis. *Coac.* 411.

Dolor lateris acutus, cum surditate, & febre, post alba a partu prodeuntia, dein subsistentia. *Coac* 525.

TABIS.

Intestinorum levitates, cum spirandi difficultate, & pectoris morsu, ad tabem tendunt, *Coac.* 469.

AD THERAPIAM.

Ad dolorem lateris dissolvendum, idonea sunt calefactoria, *De Vict. acut. XI.* 1, 2.

LEGVMINA.

Omnia flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & fricta, & macerata, & viridia. *De Vict. acut. LIX.* 8.

LEPRA.

Tempus vernale ipsi obnoxium. *Aph. III.* 20.

LETHARGVS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph III.* 30.
Tempus hiemale. *Aph. III.* 23.

NOTAE COMITANTES.

Qui lethargo, aut veterno conflictantur, ex manibus tremunt, somnolenti sunt, male colorati, tumidi, pulsus habent tardos, & lentos, ac oculorum genas inferiores sublatas, sudores superveniunt, alvique subtumescunt, impotentes sunt, ac biliosa effundunt. Quod si resiccatae fuerint, urinae alvique recrementa clam prodeunt, urinae quales in veterino genere redduntur, neque potum, neque aliud quidquam postulant. Mentis vero compotes facti, de cervicis do-

dolore conqueruntur, ac incertos sonitus per aures impetu ferri sentiunt. *Coac.* 139.

Tussis oboritur, & salivam spuit multam, ac liquidam, & nugas garrit, & ubi nugari desierit, dormit: & recrementum male olens egerit. *De Morb. II. LXIII.* 1. *ad* 6.

AD PROGNOSIN.

Qui ex lethargo evadunt, magna ex parte pus intro colligunt. *Coac.* 140.

In 7. diebus moritur, si vero hos effugerit, sanus evadit. *De Morb. II. LXIII.* 12.

AD THERAPIAM.

Huic aquam demacerata in ipsa farina crassa bibendam dato, & vinum album vinosum bibendum, & ptisanae succum sorbendum. Verum huic mali punici succum admisceto; & vinosum album insuper bibat, & ne lavet. *De Morb. II. LXIII.* 7. *ad* 11.

LEVCOPHLEGMATA. PITVITA ALBA.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE COMITANTES.

Intumescit totum corpus albo tumore, & venter ad contactum crassus est, & pedes ac femora tument, tibiae item, ac scrotum, ac acervatim respirat, & facies rubicunda est, & os siccum, & sitis tenet, & ubi cibum accepit, spiritus frequens incumbit. Hic eadem die quandoque melius habet, quandoque peius. *De Morb. II. LXIX.* 1. *ad* 10.

AD PROGNOSIN.

Leucophlegmatiae hydrops supervenit. *Aph. VII.* 74.

Si a leucophlegmatia detento vehemens diarrhoea superveniat, morbum solvit. *Aph. VII.* 29. *Coac.* 482.

Leucophlegmatico si venter sua sponte turbatus fuerit in principio morbi, proximus sanitati est. *De Morb. II. LXIX.* 11.

Ani-

Animi abiectiones cum silentio, & ab hominibus solitudines, fere eos conficiunt. *Coac.* 482.

AD THERAPIAM.

Si venter sua sponte non turbetur, medicamentum deorsum purgans dato; a quo aqua purgetur. Et calida non lavet, & sub die exponatur; & scrotum, ubi impletum fuerit, secato, &c. *De Morb. II. LXIX* 12. *& seqq.*

LICHENES, *vid.* *IMPETIGO*.

LIEN.

AD DIAGNOSIN

Tempus autumnale infestum. *Aph. III.* 22.

In febribus longis, parvis, vagis, tenuium urinarum mictiones, lienis affectionem denunciant. *Coac.* 594.

Caput & lien maxime sunt morbis obnoxia. *De Morb. IV. XIV*

Quibus splen deorsum vergit, pedes & manus, & genua calida sunt; nasus & aures semper frigida. *Epid. VI. II.* 71.

AD PROGNOSIN.

Lienosis dysenteria superveniens, bonum. *Aph. VI.* 48. *Coac.* 466.

Qui lienosi a dysenteria corripiuntur, his longa superveniente dysenteria, hydrops supervenit, aut intestinorum levitas, & pereunt. *Aph. VI.* 43.

LIENES MAGNI.

AD DIAGNOSIN.

Quibus lienes magni, iis gingivae vitiantur, & os graveolet. *Praedict. II* 163.

Quicunque splenem habent magnum, qui quidem fuerint biliosi, hi mali coloris fiunt; malis ulceribus scatent, & ex ore graveolent, & tenues evadunt; & splen durus est, & semper consimili magnitudine, &

 cibi

cibi non secedunt. Qui vero pituitosi sunt, haec & minus patiuntur, & splen alias maior, alias minor efficitur. *De Affect. XXI. 1. ad 11.*

Quibus lienes magni sunt, neque sanguinis eruptiones contingunt, neque os graveolet, in tibiis ii mala ulcera habent, & nigras cicatrices. *Praedict. II. 164.*

AD PROGNOSIN.

Quibus lien intumescit, iisdem & corpus contabescit. *De Loc in hom.*

In lienis tumore, sanguinem ex dextra nare effluere, malum. *Coac. 327*

Progressu temporis aliquibus in hydropem morbus degenerat, aliquibus autem splen suppuratur, & usu sani fiunt. *De Affect. XXI. 23. 24.*

AD THERAPIAM.

Splenicis conducit, siquidem impurgati fuerint, & caput, & reliquum corpus purgare. Si vero purgatione non egeant, victus ratio constituenda est, ita ut pituitosis corpus resiccemu ac attenuemus, cibis & potibus, & vomitibus, & exercitiis plurimis, & deambulationibus. Et in vere sursum per veratrum purgentur. Biliosis autem conducit, ut per victum humectantem, alvum & vesicam subducamus, & ut de vena splenitide frequenter sanguinem mittant, & medicamentis urinam cientibus utantur, quae splenem mollire scripta sunt, & ut pro anni tempore bilem purgent. *De Affect. XXI. 12. ad 19.*

LIENTERIA. INTESTINORVM LEVITAS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph. III. 30.*

Tempus autumnale. *Aph. III. 22.*

Dysenteria *Aph VII. 76.*

NOTAE COMITANTES.

Qui suppressa alvo, sanguinem ex naribus fundunt, & una

una cum ſanguinis profluvio ſubinde rigent, iis alvus inteſtinorum levitate laborat, & obdureſcit, aut tenues lumbrici (Aſcarides dicti) infeſtant, aut utrumque. *Coac.* 344.

In lienteria cibi ſecedunt non putrefacti, liquidi, dolor autem non adeſt, & corpus attenuatur. *De Affect.* *XXV.* 1. 4.

AD PROGNOSIN.

In diuturnis inteſtinorum levitatibus ructus acidus ſuperveniens, qui prius non fuit, ſignum bonum. *Aph. VI.* 1.

Longis inteſtinorum levitatibus laborantes, una cum ſaeviſſimis ulceribus, inteſtinorum cruciatu, & dolore, iis ſolutis intumeſcunt. His inſuper exortus rigor, malo eſt. *Coac.* 468.

Inteſtinorum levitates, cum ſpirandi difficultate, & pectoris morſu, ad tabem tendunt. *Coac.* 469.

AD THERAPIAM.

Quibus alvi ſunt lientericae, eos hieme ſurſum purgare, malum eſt. *Aph. IV.* 12.

Lientericum per eadem curato, velut a dyſenteria detentos. *De Affect. XXV.* 5.

LINGUA.

AD DIAGNOSIN.

Lingua tremula, inſtabilem mentem, & a ſede conſtantiae deturbatam, ſignificat. *Coac.* 233. *Praedict. I.* 20.

Si lingua ex improviſo impotens fiat, aut aliqua corporis pars ſiderata, melancholicum hoc ipſum fit. *Aph. VII.* 40.

Linguae pallidae ex bile, rubrae ex ſanguine, nigrae ex atra bile, valde reſiccatae ex ſuccenſa fuligine, & utero, albae vero ex pituita. *Epid. VI.*

In pulmonis inflammationibus, ſi lingua tota alba fiat, ac aſpera, ambae pulmonis partes inflammatione vexantur,

xantur; quibus vero dimidiata, lingua, qua parte id apparet, inflammatio affligit. *Coac.* 400.

AD PROGNOSIN.

NOTAE IVDICATIONIS.

Linguae bisulcum, velut saliva alba obductum, febris remissionem indicat, eo quidem, quod agnatum est, crasso existente, eodem die: si vero tenuius fuerit, postridie; perendie quoque, si adhuc tenuius fuerit. Eadem etiam significatio est, si haec circa summam linguam contingant, minus tamen firma. *Coac.* 230.

Quibus in morbo laterali, lingua circa initia biliosa est, hi intra 7. diem iudicantur: quibus vero 3. vel 4 die, circa nonum. *Coac.* 383.

Lingua admodum nigrescens, 14. die iudicationem promittit. *Coac.* 229.

Lingua in principio nigrescens, citius morbum finit, quam posterius nigrescens. *De Morb. III. XVI* 15. 16.

NOTAE PERICVLI.

Periculi plena est lingua nigra, & ex virore pallescens. *Coac.* 229.

Linguae resolutio, ac torpor, cum gravi surditate, & manuum tremore. *Coac.* 197.

Lingua tremula, cum narium rubore, & alvo humecta; si reliqua, quae sunt circa pulmonem, nullam iudicationis significationem praeseferant, malo est, ac celeres perniciosas purgationes denunciat. *Coac.* 231.

NOTAE LETHALES.

Lingua circa initia quidem horrida, in eodem vero colore perseverans, procedente vero tempore ubi exasperatur, livescit, finditur, mortem denunciat. *Coac.* 229.

Linguae tremulae quibusdam etiam alvum humectam nonnumquam reddunt. In his autem si nigricent, etiam mortem denunciant, &c. *Coac.* 233.

NO-

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

ALVI FLVXVS.

Lingua tremula nonnullis prorupturae alvi ſignificationem praebet. *Coac.* 645.

MENTIS EMOTIONIS.

Linguae revulſio, cum deſipientia, voce ſtridula, & tremore. *Coac.* 99.

PHRENITIDIS.

Linguae denſae, & peraridae, phrenitidem portendunt *Coac.* 434. *Praedict.* I. 3.

VOMITVS NIGRI.

Lingua praeter rationem mollis reddita, ac nauſeabunda, cum ſudore frigido, ab alvo liquida. *Coac.* 232.

LIPOTHYMIA. ANIMI DEFECTIO. DELIQVIVM.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Calidum. *Aph.* V. 16.

Tumoris intus ruptio. *Aph.* VII. 8.

AD PROGNOSIN.

Si fluxui muliebri convulſio, & animi deliquium ſuperveniat, malum. *Aph.* V. 56.

Qui ſaepe & vehementer, absque manifeſta cauſa, animo linquuntur, ex improviſo moriuntur. *Aph.* II. 41.

LIPPITVDO, vid. OPHTHALMIA.

LIVORES.

Si ſuſpenſae utrinque pulmonis partes *Aortae* dictae, tanta inflammatione tententur, ut ad latus adhaereant, illa corporis parte reſolutionem ſentiunt, & ad coſtam livores fiunt, quos veteres ictos, aut ſidere percuſſos vocabant. *Coac.* 400.

Ex oſſe aegrotante caro livida, malum. *Aph.* VII. 2.

Vbi livores in febre fiunt, prope adfore mors ſignificatur. *Coac.* 66.

LOCHIA. PVRGAMENTA MVLIEBRIA.

AD PROGNOSIN.

MALA, & ex partu lethalia.

Quae ex partu, & abortu, copiosa celeriter cum impetu feruntur, si subsistant, molestiam exhibent. Huiusmodi mulieribus rigor inimicus est, & alvi perturbatio, praecipue vero, si praecordiorum dolore vexentur. *Coac.* 516.

Quibus ex muliebribus purgamentis, dolores intensi ad superiorem ventris partem, & tenuius intestinum excitati, alvos humectant, & levem anxietatem inducunt, his ad iudicationem, in somnum propensiones fiunt, & impotentes ex capitis dolore, cum tenuibus sudoribus, & perfrigerationibus vexantur. Huiusmodi recidivae, plurimis post remissionem obortae, celeriter interimunt. *Coac* 518.

Ventris dolor a partu, in his purulenta expurgat. *Coac.* 520.

Praegnantibus salsuginosa, post partum molestias ex albis mordacibus denunciant. Purgationes huiusmodi duritiem adferunt. In his singultus malo est, & uterorum procidentia, quae & una interficit. *Coac.* 526.

Quibus a partu alba prodeunt, & his subsistentibus surditas, cum febre, & lateris dolor acutus excitatur, eae in vehementem, & perniciosam mentis emotionem incidunt. *Coac.* 525. *Praedict. I.* 80.

LVMBORVM DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

Tempus hyemale obnoxium. *Aph. III.* 23.

AD PROGNOSIN.

DETERIORIS NOTAE.

Ex recursatione doloris in lumbis, oculorum perversio, aut distortio, mala est. *Coac.* 314. *Praedict. I.* 69.

Qui lumborum dolore conflictantur, ii male habent.

Num

Num his tremores fiunt, & maculae rubentes, quales in tibiis, cum rigore? *Coac.* 318.

Lumborum dolor, cum aestu implacido, & anxio, malum significat. *Coac.* 323.

Lumborum dolor absque causa manifesta crebro invadens, morbi malignitatem indicat. *Coac.* 322.

Quae ex dorsi dolore initia ducunt aegritudines, difficiles. *Coac.* 309.

Intensus lumborum dolor, cum copiosiore ventris subductione, & vomitibus parvis, crebris, biliosis, sinceris. *Coac.* 560.

Post lumborum dolorem, aut desipientiam, biliosae deiectiones, cum spumosa efflorescentia. *Coac.* 607.

LETHALIS.

Lumborum atque inferiorum partium dolores, quibus febris etiam accedit, si relictis inferioribus septum transversum appetant, tum vero praesertim exitio sunt, si aliquod periculosum signum accesserit. *Coac.* 108

Lumbornm ac tenuioris intestini diuturni dolores, & circum praecordia labores, in aegris una cum febre cibum fastidientibus, eos dolor intensus ad caput progressus, non sine convulsionis specie, celeriter interficit. *Coac.* 317. *Praedict.* *I.* 100.

Lumborum dolores ad os ventriculi recursantes, cum febre, horrore, si tenuia & aquosa vomitione reiecerint, delirarint, voce defecti sint, ii post nigrorum vomitionem moriuntur. *Coac.* 316.

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

ALVI FLVXVS.

Lumborum dolor, cum horrore frequenti, & incontinenti corporis iactatione, cum lassitudinis sensu *Coac.* 19.

In praecordiorum dolore, cum aliquo murmure, succedens lumborum dolor in febribus, nisi flatus eruperit, aut urinae copia prodierit. *Coac.* 291.

FLV-

FLVXVS HAEMORRHOIDVM.

Lumborum dolores ſanguinis profluvium excitant. *Coac.* 306. 307.

Dolentibus lumbis, ſi oris ventriculi dolor acceſſerit, futurae per haemorrhoidas vacuationis ſignum eſt; aut etiam eam praeceſſiſſe ſignificat. *Coac.* 312. *Praedict.* *I.* 130.

Quibus lumborum dolor in caput, & manus recurſat, & torpore affecti, oris ventriculi dolorem ſentiunt, tenuibus ac ſeroſis humoribus abundant, ii liberaliter ſanguinem profundunt. At vero his cum mentis perturbatione alvus effunditur. *Praedict.* *I.* 139. *Coac.* 308.

Diuturni lumborum dolores, qui cum febre, ad tertianae naturam propius accedente, ingraveſcunt, ſanguinis grumoſi ſeceſſuri ſpem faciunt. *Coac.* 305.

SECESSVS NIGRI.

Conſiderandum eſt in lumborum dolore conflictatis, & anxietate citra vomitum, & pauliſper ferociter deſipientibus aegris, num nigra per ſeceſſum proditura ſint? *Coac.* 319.

CONVVLSIONIS.

Lumborum, & capitis, ac oris ventriculi dolor, cum forti excreatione, convulſionem ſuſpectam facit. *Praedict.* *I.* 106. *Coac.* 320.

Quae ex lumbis in cervicem & caput redundantia, levis ſiderationis more, reſolutionis ſenſum inducunt, convulſionem ac mentis emotionem minantur; &c. *Coac.* 313. *Praedict.* *I.* 118.

HYDROPIS SICCI.

Supra umbilicum labor, ac lumborum dolor, qui remediis non cedit, in hydropem ſiccum deſinit. *Coac.* 304. *Aph.* *IV.* 11.

ICTERI.

Qui lumborum, & lateris dolore, absque ulla occaſione tentantur; ii in morbum regium incidunt. *Coac.* 325.

PHRE-

PHRENITIDIS.

Inter initia sopor, dein capitis, lumborum, cervicis, praecordiorum dolor, & insomnia. *Coac.* 179.

SVPPVRATIONIS.

Lumborum dolores, cum febre, si relictis inferioribus septum transversum appetant, & reliquorum signorum nullum periculum ostenderit. *Coac.* 108.

Lumborum contensio ex mensium copia, quin & varie prodeuntia, glutinosa, graveolentia, strangulatum inducentia, &c. *Coac.* 324.

AD THERAPIAM.

Non febricitantibus si fiat tormen, & genuum gravitas, & lumborum dolor, deorsum purgante opus esse, indicat. *Aph.* *IV* 20.

In intenso lumborum dolore, & alvi subductione largiore, sumpto veratro, spumosorum crebra vomitio prodest. *Coac.* 310.

LVMBORVM FRIGIDITAS ET GRAVITAS.

Si per sanitatem, hyemis tempore, lumborum frigiditas, & gravitas, levi ex occasione orta sit, & alvi suppressio; superiore ventre probe officio suo fungente; coxendicum, vel renum dolor, aut urinae stillatio, forte exspectanda est. *Coac.* 487.

LVMBRICI TERETES ET ASCARIDES.

AD DIAGNOSIN.

Aetas puerilis ipsis obnoxia. *Aph:* *III.* 26.

Qui suppressa alvo sanguinem ex naribus fundunt, & una cum sanguinis profluvio subinde rigent, iis alvus intestinorum levitate laborat, & obdurescit, aut tenues lumbrici (Ascarides dicti) infestant, aut utrumque. *Coac.* 344.

AD PROGNOSIN.

Lumbricos rotundos cum alvi excretione prodire, morbo

bo in iudicationem tendente, expedit. *Praenot.* 62. *Coac.* 601. *de Iudicat.* 5.

Lumbricis vero tenuibus, & longis (qui Ascarides dicuntur) in capitis dolore vexatis, consequente surditate, & sopore, tubercula ad aures excitantur. *Coac.* 165.

LVMBRICI LATI.

AD DIAGNOSIN.

Etiam in foetu uterino nascuntur. *De Morb. IV. XXVII.* 2.

NOTAE COMITANTES.

Velut cucumeris semen interdum alvo redditum. *De Morb. IV. XXVII.* 39.

In ieiuno dolor ad hepar molestus, cum sputo interdum multo. *Ibid.* 40.

In quibusdam vocis interceptio, cum sputis ex ore multis, tormine ventriculi, vel etiam dolore ad dorsum. *Ibid.*

LVXATIO, vid. OSSA.

MALIGNITAS.

AD DIAGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Qui subinde inhorrescunt, ex capite laborantes, tenuiter exsudantes, ii maligne habent. *Coac.* 12.

Quaecunque febri ex adverso respondent, nisi abscessum faciant, malignitatem denunciant. *Coac.* 145.

Rigores cum sopore, nonnihil periculi denunciant; & facies incensa cum sudore, malignitatem in his significat. *Coac.* 7.

Rigores multi, cum torpore, malignum quiddam denunciant. *Coac.* 14.

Lumborum dolor, absque causa manifesta crebro invadens, malignus. *Coac.* 322.

In febre convulsio, manuumque ac pedum dolores, ma-

malignum quiddam praenunciant; item femoris, genuum, surarum dolores, ac mentis emotio, praecipue si sublime quid in urina innatet. *Coac.* 30.

MAMMAE.

AD DIAGNOSIN.

Si mulier, quae nec praegnans est, nec peperit, lac habeat, ei menstrua defecerunt. *Aph. V.* 39.

Mulieri in utero gerenti, si multum lactis ex mammis fluxerit, infirmum foetum significat. Si vero solidae fuerint mammae, saniorem foetum significat. *Aph. V.* 52.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Mammae turgidae, & magnae, in mulieribus, probantur. *Praedict. II.* 130.

Quaecunque mammarum dolore ex febribus vexantur, eas sanguinis concreti spuitio non foeculenta, dolore liberat. *Coac.* 553.

DETERIORIS NOTAE.

Mulieri in utero gerenti, si mammae ex improviso graciles fiant, abortit. *Aph. V.* 37. 53.

Mulieri in utero gerenti, si altera mamma gracilis fiat gemellos gestanti, alterutrum abortit. Et siquidem dextra gracilis fiat, marem: si vero sinistra, feminam. *Aph. V.* 38.

Quae perditurae sunt foetus, his mammae graciles fiunt. Si vero rursus durae fiant, dolor erit, aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus, & non perdunt. *Aph. V.* 53.

Mulieribus, quibus in mammis sanguis convertitur, insaniam significat. *Aph. V.* 40.

Quae puellae erectae cervicis spiratione vexantur, iis uterum ferentibus, mammae pus colligunt &c. *Coac.* 549.

CONF. ABORTVS, CONCEPTIO, FOETVS, GRAVIDITAS.

MA-

MANIA. DEMENTIA. INSANIA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus vernale, & autumnale. *Aph. III.* 20. 22.

Tumores ulcerum in parte antica, repente disparentes. *Aph. V.* 65.

Humorum decubitus in morbis melancholicis. *Aph. VI.* 56

NOTAE ANTECEDENTES.

Aures obtusae in acuta febre. *Coac.* 196.

Dentium collisio aut stridor, praeter consuetudinem a teneris contractam. *Coac.* 235.

Qui capitis dolore, siti, levi pervigilio detinentur, obscure loquuntur, ad motum impotentes, humescente alvo lassitudine vexantur; in iis fortasse insania metuenda est. *Coac.* 175. 642.

Quibus faciei incendium, & intensus rubor solvitur, & graveolens est alvi egestio, redundans, & subrubra, in his insaniae metus est. *Coac.* 624.

Intestinorum difficultate laborantibus, aliquantulum rubrae, limosae, & copiosae deiectiones, in flammeo colore, & praerubro perfusis, selutae, insaniam suspectam faciunt. *Coac.* 465.

Si oculi crebro moveantur, insania exspectanda est. *Praenot.* 31.

Mulieribus, quibus in mammas sanguis convertitur, insaniam significat. *Aph. V.* 40.

Vbi post vomitum anxiosum vox stridula est, oculi squalidi, & pulvere obsiti, insania portenditur, &c. *Praedict. I.* 17. *Coac.* 561.

Vomitus virulenti, & aeruginosi, cum capitis dolore, surditate, & insomnia, promtam insaniam significant. *Praedict. I.* 10. *Coac.* 169.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Febres acutas cum mentis perturbatione, in oris ventriculi dolore, non bilioso, insania solvit. *Coac.* 550.

In-

Insania magnum morbum, invadendi consuetudine iam familiarem solvit. *De Judicat.* 68.

Insanientibus, si varices, aut haemorrhoides supervenenerint, insaniae solutio fit. *Aph. VI.* 21.

Ab insania dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio, bonum. *Aph. VII.* 5.

Ex insania, in raucedinem cum tussi fit secessio. *Coac.* 484.

Qui insania corripiuntur, aut per se à morbis liberantur, iis dolor ad pedes, aut pectus subiens, aut vehemens tussis oborta, insaniam solvit, &c. *De Iudicat.* 65.

DETERIORIS NOTAE.

Vehementes mentis emotiones silentes, absque quiete, oculis quoquoversum intuentes, spiritum efflantes, perniciem minantur, diuturnas vero faciunt partium resolutiones. Quin etiam vehementer insaniunt hoc modo affecti. Quibus autem cum ventris perturbatione huiusmodi affectus ingravescunt, iis nigra per alvum ad iudicationem prodeunt. *Coac.* 486.

LETHALIS.

Dentium collisio, aut stridor, praeter consuetudinem a teneris contractam, insaniam, aut mortem denunciat. Quod si iam deliranti istud accidat, prorsus exitiale est. Quin & dentes resiccari, perniciem denotat. *Coac.* 235.

In vehementi & furiosa mentis emotione, accedentes tremores, exitio sunt. *Coac.* 93.

Insania vehemens, cum vocis defectione, post vomitum, &c. *Coac.* 561.

Qui in rabiem actus fuerit intrepide, & non agnoscit, neque audit, neque intelligit, iam moribundus est. *Aph VIII.* 16.

AMAVROSIN PORTENDENS.

Insanientibus accedens convulsio, oculorum aciem retundit. *Coac.* 485.

Si insania solvatur, absque dolore ad pedes, vel ad pectus, aut tussi vehementi, caecitas sequitur. *De Iudicat.* 65.

CONVVLSIONES.

Quae sensim feroces fiunt mentis emotiones, in ferinas evadunt, & convulsiones portendunt. *Coac.* 155. 85. *Predict.* I 26.

CONF. DELIRIVM, PHRENITIS.

MANVS.

AD DIAGNOSIN.

Ex manibus tremunt lethargici, &c. *Coac.* 139.

AD PROGNOSIN.

In febre, manuum ac pedum dolores, malignum quiddam praenunciant. *Coac.* 30.

Manuum ac pedum tumores, cum rubore, perniciem denunciant. *Coac* 63.

MANVVM IACTATIO, vid. GESTVS.

MAXILLAE.

AD DIAGNOSIN.

Lassatis per febres, ad articulos, & circa maxillas maxime, abscessus fiunt. *Aph.* IV. 31.

Maxilla raro excidit, luxatur tamen plerumque hiando. *De Artic.*

AD PROGNOSIN.

In vehementibus circa maxillas doloribus, periculum est, ut os fluctuet. *Coac.* 239.

Cervix dura cum dolore, & maxillarum connexio, ac iugularium venarum palpitatio vehemens, cum tendinum distensione, perniciem minantur. *Coac.* 261.

In nervorum distentionibus, & iis, quae in posteriorem partem fiunt, dissolutae maxillae mortem adferunt. *Coac.* 361.

ME-

MEDICAMENTA.

Ad extremos morbos, extrema remedia exquisite optima. *Aph. I. 6.*

In morbis levibus non oportet medicamenta valida adhibere. *Loc. in hom. LV. 7.*

Medicamentorum vehementium pleraque stomachum exulcerant. *De Superfoet. XVII. 11.*

Quae medicamenta non sanant, ea ferrum sanat. Quae ferrum non sanat, ea ignis sanat. Quae vero ignis non sanat, insanabilia existimare oportet. *Aphor. VIII. 6.*

MEDICINA.

Est additio & subtractio: subtractio quidem superfluorum, additio vero deficientium. *De Flat. III.*

MEDICI.

Nomine quidem multi, reipsa vero perpauci. *In Leg.*

In Medico esse debet pecuniae contemptus, pudor, modestia in vestitu, iudicium, lenitas, urbanitas, mundities, recta elocutio, superstitionis aversatio, & praestantia summa. *De decenti hab.*

Nihil temere affirmandum, nihil contemnendum. *Epid. VI. II. 46.*

MEDVLLA SPINALIS.

Vbi resiccatur, dolor caput occupat, cervicem, lumbos, musculosque lumbares, & crurum articulos, ita ut flectere nequeat, alvus sistitur, & urina non nisi aegre redditur. *De Int. Affect. XIV. 1. ad 7.*

Eius laesionem sequitur impotentia crurum, stupor, alvi & urinae retentio, tandem mictio, & alvi solutio involuntaria, nec longo post intervallo, mors. *Praedict. II. 92.*

Ipsi frigidum inimicum. *Aph. V. 18.*

MEL.

Calidum & ſiccum eſt, ubi ſincerum aſſumitur; cum aqua vero humectat, & biliofis alvum movet; pituitoſis autem ſiſtit. *De Diaet. II. XXIII.* 19.

MELANCHOLIA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus vernale, & autumnale. *Aph. III.* 20. 22.

Autumnus aquilonius, & ſiccus. *Aph. III.* 14.

NOTAE COMITANTES.

Si metus, & triſtitia multo tempore perſeverent, melancholicum hoc ipſum. *Aph VI.* 23.

Si lingua ex improviſo impotens fiat, aut aliqua corporis pars ſiderata, melancholicum hoc ipſum fit. *Aph. VII.* 40.

Quae ſenſim feroces fiunt mentis emotiones, in vehementes & melancholicas evadunt. *Praedict. I.* 123.

AD PROGNOSIN.

Melancholicis, & nephriticis, haemorrhoides ſupervenientes, bonum. *Aph. VI.* 11.

Quibus melancholico modo mente motis, tremores accedunt, malignum hoc eſt. *Praedict. I.* 14.

Morbis melancholicis ad haec periculoſi ſunt humorum decubitus, aut corporis ſiderationem, aut convulſionem, aut inſaniam, aut caecitatem ſignificant. *Aph. VI.* 56.

AD THERAPIAM.

Melancholicos uberius deorſum purgabis. Eadem ratione contraria adhibens. *Aph. IV.* 9.

MENS. ANIMVS.

AD DIAGNOSIN.

Lingua tremula, mentis inſtabilis ſignum. *Praedict. I.* 20. *Coac.* 233.

Qui-

Quicunque aliqua corporis parte dolentes, dolorem fere non sentiunt, his mens aegrotat. *Aph. II. 6.*

AD PROGNOSIN.

In omni morbo mente valere, & bene se habere ad ea, quae offeruntur, bonum est: contrarium vero malum. *Aph. II. 33.*

Qui perniciose habent, iis mens obtorpescit. *Coac. 488.*

CONF. DELIRIVM, MANIA, PHRENITIS.

MENSTRVA.

AD DIAGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Optimum est, menstrua singulis mensibus, & ratis diebus, satis idonea, & aequali copia, bonique coloris, prodire. *Praedict. II. 131.*

In gravidis cessant. *Aph. V. 61.*

NOTAE ERVPTIONIS FVTVRAE.

Horrore subinde tentatis, lassitudine, & capitis gravitate conflictatis, muliebres purgationes erumpunt. *Coac. 541.*

Horroris & lassitudinis sensus, capitis gravitas, cum cervicis dolore, muliebres purgationes deiiciunt. *Coac. 548.*

Ex rigore febris, cum lassitudinis sensu. *Coac. 555.*

Quae caput concutiunt, & aurium sonitus excitant, praesertim si ad spinam ardor consequatur. *Coac. 167. Praedict. I. 143.*

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Quaedam affectiones feminis solvuntur, circa menstruorum eruptiones. *Aph. III. 28.*

Mulieri sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus, solutio fit. *Aph. V. 32.*

In muliere mensium profluvium a febribus vindicat, si die critico contingat. *Coac. 152.*

Convulsionem muliebria, si circa initia appareant, neque febris accesserit, solvunt. *Coac.* 531.

Oculorum caligines, crebris apparentibus mensibus, solvuntur. *Coac.* 552.

DETERIORIS NOTAE.

Quae affectiones feminis non solutae fuerint, circa menstruorum eruptiones, perseverare solent. *Aph. III.* 28.

Si mulieri in utero gerenti purgationes prodeant, fetum sanum esse impossibile. *Aph. V.* 60.

Si fluxui muliebri convulsio, & animi deliquium superveniat, malum. *Aph V.* 56.

In puellis orthopnoicis, uterum ferentibus, muliebria purgamenta circa initia apparere, malum. *Coac.* 549.

MENSTRUA RETENTA.

AD DIAGNOSIN.

Si mulier, quae nec praegnans est, nec peperit, lac habeat, ei menstrua defecerunt. *Aph. V.* 39.

Quum menses fuerint occultati, dolor habebit imum ventrem, & onus quoddam incumbere videtur, & lumbos, & laterum mollitudinem mirum in modum dolet. *De Morb. Mul. I. X.* 1. 3.

AD PROGNOSIN.

Mensibus non prodeuntibus, ab utero fiunt morbi. *Aph. V.* 57.

Mulier non laborat podagra, nisi menses ipsi defecerint. *Aph VI.* 29.

Mulieri menstruis deficientibus, e naribus sanguinem fluere, bonum. *Aph. V.* 33.

AD THERAPIAM.

Primum ventrem purgare oportet sursum ac deorsum. Deinde uti subdititio medicamento, a quo sanguis purgetur, Atque ita quiescere, & potandum dare pharmacum, a quo sanguis prodeat; item crethmum in vino taedaceo. *De Morb. Mul. I. X.* 5. *ad* 8.

Suf-

Suffitus aromatum muliebria ducit. *Aph. V.* 28.

MENSTRVA IMMODICA.

AD PROGNOSIN.

Menſibus copioſioribus prodeuntibus, morbi contingunt. *Aph. V.* 57.

Lumborum contenſio ex menſium copia ſuppurationem fore indicat. Quin & varie prodeuntia, glutinoſa, graveolentia, ſtrangulatum cum antea commemoratis inducentia, ſuppurationem denunciant. Fortaſſis vero & tales aliquantum delirare contingit. *Coac.* 324.

Quae ad manus contactum torpeſcunt, peraridae, ſitis expertes, muliebria multa profundentes, pus intro colligunt. *Coac.* 542

AD THERAPIAM.

Mulieri menſtrua ſi velis cohibere, cucurbitam quam maximam ad mammas adpone. *Aph. V.* 50.

MENSTRVA VITIATA.

AD PROGNOSIN.

Quibus, in tumorem ſublato ventre, pudendum rubor occupavit, muliebribus purgamentis albis, humidis, ſubito prodeuntibus, diuturnis febribus intereunt. *Coac.* 530.

AD THERAPIAM.

Mulieri menſes decolores, neque ſecundum eadem (tempus & modum) ſemper prodeuntes, purgatione opus eſſe, ſignificant. *Aph. V.* 36.

METVS.

Si metus & triſtitia multo tempore perſeverent, melancholicum hoc ipſum. *Aph. VI.* 23.

Ex perfrigeratione metus, ac animi abiectio praeter occaſionem, in convulſionem tendit. *Coac.* 4.

CONF. PAVORES.

MICTIO.

AD DIAGNOSIN.

Mictio noctu multa contingens, parvam deiectionem significat. *Aph. IV* 83.

Qui plus mingunt, quam egerunt, pro ratione habitiores sunt. *De Dentit. II.* 8.

Qui non pro ratione mingunt, verum alvus frequenter cruda a pueris egessit, morbosi sunt. *Ibid* 9

Ex tremoribus, &c. somnus multus, convulsionem minatur; & frontis gravitates, ac mictio molesta est, *Coac* 348.

AD PROGNOSIN.

Quibus incogitantibus urina decidit ad pudendum, desperati exsolvuntur. *Coac*. 474.

MICTIO CRVENTA.

AD DIAGNOSIN.

Qui sponte sanguinem mingunt, his a renibus venae ruptionem significat. *Aph. IV.* 78.

Si quis sanguinem mingat, & grumos, & urinae stillicidium habeat, & dolor incidat ad imum ventrem, & interfemineum, partes circa vesicam laborant. *Aph. IV.* 80. *VII.* 39.

Si quis sanguinem, aut pus mingat, renum aut vesicae exulcerationem significat. *Aph. IV.* 75.

Si quis sanguinem, & pus mingat, & squamas, & odor gravis sit, vesicae exulcerationem significat. *Aph. IV.* 81.

AD PROGNOSIN.

NOTAE MORBI LONGIORIS.

Urina cruenta circa initia, morbi diuturnitatem significat. *Coac.* 582.

NOTAE LETHALES.

In dorsi, ac pectoris dolore, cruentae mictionis suppressio, laboriosum exitum adfert. *Coac.* 272.

In

In laterum doloribus ; urina cruenta, obſcura, cum eo, quod ſubſidet, vario, & indiſcreto, utplurimum in 14. diebus mortem adfert. *Coac.* 581.

Virium exſolutiones ex rigore, cum capitis dolore, perniciem denunciant. Cruentae in his urinae, malo ſunt. *Coac.* 22. 28.

MORBVS IN GENERE.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Anni tempora. *Aph.* *III.* 19.

Mutationes anni temporum, & in ipſis temporibus magnae mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo. *Aph.* *III.* 1.

Cibus praeter naturam copioſior. *Aph.* *II.* 17.

Morbi derepente non accidunt hominibus, ſed paulatim collecta materia morbifica ſubito ſe produnt. *De Diaet.* *I.*

Oriuntur tum a victus ratione, tum a ſpiritu, cuius inſpiratione vivimus. *De Nat. hum.* *XVIII.* 11. 12.

NOTAE ANTECEDENTES.

Spontaneae laſſitudines morbos denunciant. *Aph.* *II.* 5.

NOTAE PARTIS AFFECTAE.

Qua corporis parte ineſt calor, aut frigus, ibi morbus eſt. *Aph.* *IV.* 39.

Qua corporis parte ineſt ſudor, ibi morbum eſſe indicat. *Aph.* *IV.* 38.

Si quid doluerit ante morbum, ibi ſe figit morbus. *Aph.* *IV.* 33.

Quibus ex morbo reſurgentibus aliquid dolet, ibi abſceſſus fiunt. *Aph.* *IV.* 32.

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

In inconſtantibus temporibus, ſi tempeſtive tempeſtiva reddantur, conſtantes, & iudicatu faciles fiunt morbi: in inconſtantibus autem inconſtantes, & difficiles iudicatu. *Aph.* *III.* 8.

Vrinae, & alvi excrementa, & sudores, cum apparent, vel iudicatu faciles, vel difficiles, vel breves, vel longos morbos fore indicant. *Aph. I.* 12.

Qui ex venis morbus oritur, levior est, quam qui a nervis. *De Loc. in hom.*

Quicunque morbi hieme augescunt, aestate desinere solent; quicunque vero aestate augescunt, hieme finire consueverunt, nisi certo dierum circuitu discedant; quibus autem morbi vere fiunt, ad autumnum eorum discessum fore, expectare oportet; quicunque postremum autumnales morbi sunt, eorum discessum necesse est vere fieri. Quicunque vero morbus haec tempora transgressus fuerit, eum annuum fore scire oportet. *De Nat. hum XVII.*

In his, quae per vesicam, & in his, quae per alvum fiunt, egestionibus, & in his quae per carnes, & sicubi alia naturae via corpus exeat: si parum, parvus morbus fit: si multum, magnus: si admodum multum, hoc ipsum lethale. *Aph. VII.* 79.

NOTAE SECVRITATIS.

In morbis minus periclitantur, quorum naturae, & aetati, & habitui, & tempori, magis similis fuerit morbus, quam in quibus horum nulli fuerit similis. *Aph II.* 34. *VIII.* 1.

Si in morbo somnus iuvat, non est lethale. *Aph. II.* 1.

Optimum est in morbo, totum corpus aeque calidum, & molle esse. *Coac.* 492.

NOTAE PERICVLI.

Caput, pedes, & manus frigidas esse, ventre & lateribus calentibus, mali morbi signum est. *Coac.* 492.

NOTAE LETHALES.

Quo in morbo somnus laborem facit, lethale. *Aph. II.* 1.

Morbis quibusvis incipientibus, si bilis atra, vel sursum, vel deorsum prodierit, lethale. *Aph. IV.* 22.

Si

Si albi quid, palpebris commissis, subtus appareat, cui id non ex alvi profluvio est, aut ex potione purgante, pravum signum, & valde lethale. *Aph. VI.* 52.

NOTAE RECIDIVAE.

Quae in morbis post crisim relinquuntur, recidivas facere solent. *Aph II.* 12. *Coac.* 582.

AD THERAPIAM.

Duo in morbis praestanda, adiuvare, aut saltem non nocere *Epid. I.*

Omnia secundum rationem facienti, & non secundum rationem evenientibus, non transeundum ad aliud, manente eo, quod visum est ab initio. *Aph. II.* 52.

MORBVS ACVTVS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas iuvenilis. *Aph. III.* 29.

Tempus autumnale. *Aph III.* 9.

Quartanae hybernae. *Coac.* 159.

NOTAE COMITANTES.

Vbi peracutus est morbus, statim extremos habet labores. *Aph. I.* 7.

Quibus biliosae subsidentiae, ab initio vero tenues, acutum morbum significat. *Aph. VII.* 32.

Circa principia & fines omnia sunt debiliora. Circa vigores vero vehementiora. *Aph. II.* 30.

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Acuti morbi in 14. diebus iudicantur. *Aph. II.* 23. *Coac.* 147.

Morbi praecipites, & acuti, effluente ex naribus sanguine iudicatione absolvuntur, idque die iudicatorio; ac sudore copioso exorto, urinaque purulenta, ac vitrea affatim reddita, in qua quod subsidit, laudabile sit; aut abscessu effatu digno; & alvo mucosa, & san-

sanguinea deiiciente, ac derepente prorumpente; vomitionibusque non pravis, sub iudicationem contingentibus. *Coac.* 150.

Acutorum morborum non omnino tutae sunt praedictiones, neque mortis, neque sanitatis. *Aph.* *II.* 19.

NOTAE PERICVLI.

In precipitibus malis, spumans & circumbiliosum alvi recrementum, malo est. Malum quoque & exacte candicans. Adhuc vero deterius, farinae molitae instar, & stercorosum. Praeter haec sopor malo est; & cruenta alvi deiectio, ac immoderata vasorum inanitio. *Coac.* 602.

Supinum iacere, manibus, cervice, & cruribus porrectis. *Praenot.* 9. *Coac.* 497.

Pronum ad pedes de lecto delabi. *Praenot.* 10. *Coac.* 497.

Pedes nudos, neque admodum calidos habere, & manus, cervicem, & crura inaequaliter dispersa; & nuda. *Praenot.* 11. *Coac.* 497.

Aegrum residere velle, in ipso morbi impetu, pravum quidem in omnibus morbis acutis, & pulmonum inflammatione laborantibus pessimum. *Praenot.* 14. *Coac.* 497.

Noctu vigilare, interdiu dormire; praesertim post tertiam diei partem. *Coac.* 497.

Pessimum est, si somnus neque noctu, neque interdiu accedit. Id enim ob dolorem, laboremque accidit, vel delirium fore significatur. *Coac.* 497.

In morbis acutis extremarum partium frigus, malum *Aph.* *VII.* 1.

In acutis affectionibus, quae cum febre sunt, luctuosae respirationes, malae *Aph.* *VI.* 54.

In praecipitibus malis, oculi obseratio, aut perfractio, malo est. *Praedict.* *I.* 84.

In gravi morbo, sitim temere, ac praeter rationem cessare, malum est. *Coac.* 58.

In praecipitibus malis, tenues circa caput maxime sudores

res oboriri, & corporis incontinentia quadam iactari, malum indicat. *Coac.* 49.

In praecipitibus & turbulentis morbis obveniens ſurditas, malo eſt. *Coac.* 190.

In praecipitibus morbis periculum denunciat urina biliosa, neque aliquantulum rubra; & quae hordei toſti non exacte moliti craſſioribus fruſtulis ſimilia habet ſedimenta; alba; & quae colore, ac ſedimento variat; praecipueque in iis, quae ex capite fiunt, defluxionibus. *Coac.* 578.

Vrinae derepente praeter rationem parum concoctae, vitioſae ſunt. Ac in totum, quae in morbo acuto urina praeter rationem cocta eſt, vitium denotat. In his quoque malo eſt praerubra efflorescentia, contenta atque aeruginoſa. *Coac.* 579.

Vrina alba effuſa, & perſpicua, item quae poſt potionem celeriter meitur; quae ante rigorem oleoſa redditur; quae ex viridi palleſcit, nec in colore perſiſtit. *Coac* 579.

NOTAE LETHALES.

Quibuſcunque, ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, vel qualis ſanguis niger, prodierit, poſtridie moriuntur. *Aph. IV.* 23.

Mulierem in utero gerentem, ab acuto aliquo morbo corripi, lethale. *Aph. V.* 30.

In praecipitibus morbis murmur edentes, ac tinnientes aures, mortem praenunciant. *Coac.* 193.

AD THERAPIAM.

RATIO VICTVS.

Vbi peracutus eſt morbus, ſtatim extremos habet labores, & extreme tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt. Vbi vero non, ſed plenius cibare licet, tantum a tenui recedendum, quantum morbus remiſſior extremis fuerit. *Aph. I* 7.

Tenuis & exquiſitus victus, in acutis, ubi non convenit, periculoſus, *Aph. I.* 4.

MIS-

MISSIO SANGVINIS.

In morbis acutis sanguinem detrahes, si vehemens fuerit morbus, & aegri aetate floreant, & viribus valeant. *De Vict. acut.*

PVRGATIO.

In acutis affectionibus raro, & in principiis, purgante utendum, atque hoc diligenti prius adhibita cautione faciendum. *Aph. I.* 24.

Purgandum in valde acutis, si turgeat materia, eadem die, morari enim in talibus, malum est. *Aph. IV.* 51.

MORBVS LONGVS, CHRONICVS.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE COMITANTES.

Abscessus in febribus, qui non solvuntur ad primas iudicationes, morbi longitudinem significant. *Aph. IV.* 51.

Ex glandularum tumoribus dolores, in febribus. *Coac.* 73.

Mutationes in toto corpore, & si corpus perfrigeretur, aut rursus calefiat; aut color alius ex alio fiat. *Aph. IV.* 40. *VII.* 60.

Febricitanti sudor superveniens, febre non remittente, malum; prolongatur enim morbus, & copiosiorem humiditatem indicat. *Aph. IV.* 56.

Sudores frigidi, cum febre mitiore. *Aph. IV.* 37. *Coac.* 573.

Sudores febricitantium, si non fiant diebus criticis. *Aph. IV.* 36.

Vrina cruenta, circa initia reddita. *Coac.* 582.

Quibus febricitantibus, in urinis subsidentiae fiunt crassiori farinae similes, longam infirmitatem significant. *Aph. VII.* 31.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

In morbo diuturno appetitus prostratus, & meracae deiectiones, malum. *Aph. VII.* 6.

Ex morbo diuturno alvi defluxus, malum. *Aph. VIII.* 5.

Sur-

Surditas etiam in longis morbis, malum portendit, ac in his ad coxendices labores convehit. *Coac.* 190.

NOTAE LETHALES.

Quibus ex morbo diuturno, &c. extenuatis bilis atra, vel qualis ſanguis niger prodierit, poſtridie moriuntur. *Aph. IV.* 23.

Diuturnis in morbis, parvae apparentes ſanguinis ex naribus fluxiones, perniciem oſtentant. *Coac.* 340.

In diuturnis morbis ſuppurati ad aures tumores, niſi pus admodum album, ac ſine odore reddant, exitium, praecipueque mulieribus adferunt. *Coac.* 206.

NOTAE CONVVLSIONIS FVTVRAE.

Temerarii ventris tumores in morbis longis, convulſiones adferunt. *Coac.* 86.

AD THERAPIAM.

Tenuis & exquiſitus victus, in morbis longis, ſemper periculoſus. *Aph. I.* 4.

MORBVS NIGER I.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE COMITANTES.

Nigrum vomit veluti faecem, quandoque cruentum, quandoque velut vinum ſecundarium, quandoque velut Polypi atramentum, quandoque acre velut acetum, quandoque ſalivam & pituitam, quandoque bilem cum virore pallidam. Et ubi quidem nigrum cruentum vomuerit, cadaveris foetorem refert, & fauces & os a vomitu aduruntur, & dentes ſtupeſcunt, & id quod vomitu reiectum eſt, terram elevat. Et poſtquam vomuit, paulo melius ſe habere putat. Et neque ſine cibo eſſe, neque ampliorem cibum ferre poteſt. Verum ubi ſine cibo manet, viſcera ſugunt, & ſalivae acidae ſunt. Quum vero cibum acc-epit, gravitas in viſceribus eſt, & pectus ac dorſum

ve-

velut ſtilis pungi videntur, & dolor tenet latera, & febris debilis eſt, & caput dolet, & oculis non videt, & crura gravantur, & color niger eſt, & conſumitur. *De Morb. II. LXXI.* 1. *& ſeqq.*

AD PROGNOSIN.

Vna cum aetate aufugit etiam morbus, & cum corpore ſeneſcit. Si vero denigratus fuerit, commoritur. *Ibid.* 40. 41.

AD THERAPIAM.

Pharmacum bibendum dare frequenter, & pro anni tempore, & ſerum, & lac. A cibis abſtinere dulcibus, & oleoſis, ac pinguibus, & frigidiſſimis, ac maxime per alvum ſubeuntibus uti. Caput purgare, & poſt medicamentorum potiones ſurſum purgantes, de manibus ſanguinem detrahere, ſi non fuerit debilis. Si alvus non egerat, molle infuſum per clyſterem immittere, &c. *Ibid.* 25. *& ſeqq.*

MORBVS NIGER II.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE COMITANTES.

Subfulvus & gracilis, & oculis, cum virore pallidis fit, & tenuem cutem habet, ac debilis eſt. Quanto autem tempus amplius progreditur, tanto morbus amplius affligit. Et vomit omni tempore velut ſtillamentum modicum, ad duorum poculorum parvorum menſuram, & frequenter etiam cibum, ac una cum cibo bilem, & pituitam. Et poſt vomitum dolet totum corpus, aliquando etiam, antequam vomat. Et horrores tenues, ac febris tenet, & ad dulcia, ac oleoſa maxime vomit. *De Morb. II. LXXII.* 1. *& ſeqq.*

AD PROGNOSIN.

Morbus lethalis quidem eſt, non autem conſeneſcit. *Ibid.* 23.

AD THERAPIAM.

Medicamentis ſurſum ac deorſum purgare, & lac aſininum

num postea bibendum dare. Cibis uti mollissimis, ac frigidis, piscibus litoralibus, & cartilaginei generis, & betis, & cucurbitis, & carnibus tritis. Vinum bibere album, vinosum, aquosius. Labore & deambulatione uti, calida non lavare, & a sole abstinere. *De Morb. II. LXXII.* 12. *& seqq.*

MORS.

NOTAE simpliciter LETHALES.

Morbis quibusvis incipientibus, si bilis atra vel sursum, vel deorsum prodierit, lethale. *Aph. IV.* 22.

Tenebricosa vertigine laborans, & lucem aversans, & somno ac ardore multo detentus, desperatus. *Aph. VIII.* 15.

Qui suppurati, aut hydropici uruntur, aut secantur, hi pure aut aqua acervatim effluente, omnino moriuntur. *Aph. VI.* 27.

Aures frigidae, pellucidae, contractae, lethales sunt. *Aph. VIII.* 14.

Testis dexter frigidus, & convulsus, lethale. *Aph. VIII.* 11.

NOTAE MORTEM SVBITAM PRAESAGIENTES.

Qui saepe, & vehementer, absque manifesta causa, animo linquuntur, ex improviso moriuntur. *Aph. II.* 41.

Qui natura sunt valde crassi, magis subito moriuntur, quam graciles. *Aph. II.* 44.

Oris ventriculi dolor seniori crebro adveniens, repentinam mortem denunciat. *Coac.* 286.

NOTAE MORTIS INSTANTIS.

Labia livida, aut etiam resoluta, & inversa, & frigida, lethalia. *Aph VIII.* 13.

In febre non intermittente, si labium, aut supercilium, aut oculus, aut nasus pervertatur, si non videat, si non audiat, corpore iam debili existente, quicquid horum fiat, in propinquo mors est. *Aph. IV.* 49. *VII.* 73. *Coac.* 72.

Qui

Qui in rabiem actus furit intrepide, & non agnoscit, & neque audit, neque intelligit, iam moribundus est. *Aph. VIII.* 16.

Morituris signa haec magis fiunt manifesta, & ventres attolluntur, atque inflantur. *Aph. VIII.* 17.

Vngues nigri, & digiti manuum, & pedum frigidi, contracti, vel remissi, mortem in propinquo esse demonstrant. *Aph. VIII.* 12.

MOTVS, EXERCITATIO.

NOTAE VARIAE.

Vbi fames, non oportet laborare. *Aph II.* 16.

In omni corporis motu, quando dolere coeperit, interquiescere statim lassitudinem curat. *Aph. II* 48.

Otium humectat, & corpus debilitat, labor vero siccat, & roborat. *De Diaet. II.*

Labores cibos praecedant. *Epid. VI. IV.* 53.

Exercitatio sanitatis est, vesci citra saturitatem, non refugere laborem. *Ibid.* 41

MVLIER, vid. FOEMINA.

MVTATIO.

AD PROGNOSIN.

Frequens coloris cum calore mutatio, bono est. *Coac.* 125.

Celeres summitatum corporis in utraque extrema permutationes, perniciem denunciant. Quin & sitis huiusmodi (hoc est, celeriter in contraria permutata) malo est. *Coac.* 50. *Praedict. I.* 43.

Vbi in toto corpore mutationes, & si perfrigeretur, aut rursus calefiat, aut color alius ex alio fiat, morbi longitudinem significat. *Aph. IV.* 40. *VII.* 60.

AD THERAPIAM.

Quod paulatim fit, tutum est: tum alias, tum si quis ex altero ad alterum transeat. *Aph. II.* 51.

Mul-

Multum & derepente mutare, periculosum. *Aph. II,* 51.
In recidivis mutationes prosunt. *Epid. VI. VI.* 30.

MVTVS.

NOTAE VARIAE.

Quibus cerebrum concussum fuerit ab aliqua causa, necesse est, eos statim mutos fieri. *Aph. VII.* 58.

AD PROGNOSIN.

Si quis ebrius ex improviso mutus fiat, convulsus moritur, nisi febris corripuerit, aut ubi ad horam, qua crapulae solvuntur, pervenit, locutus fuerit. *Aph. V.* 5

CONF. CAPITIS DOLOR, APOPLEXIA VOCIS DEFECTIO.

NARES.

AD DIAGNOSIN.

Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, imperfectius sani sunt: quibus vero contraria, perfectius. *Aph. VI.* 2.

Narium humiditates senibus infestae. *Aph. III.* 31.

Narium rubores, alvi liquidae, & diffluentis sunt indicia *Coac.* 215.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Quibus ex naribus fluxiones 7. 9. aut 14. die contingunt, utplurimum a febribus vindicant. *Coac.* 152.

DETERIORIS NOTAE.

Lingua tremula, cum narium rubore, & alvo humecta, &c. *Coac.* 231.

NOTAE LETHALES.

Nasus stillans, cum vomitionibus exiguis, biliosis, & pervigilio. *Praedict. I.* 79.

Nasi perversio, in febre non intermittente, corpore iam debili existente. *Aph. IV.* 49. *VII.* 73.

NATVRA.

Natura omnibus subvenit. *De Alim. IV.* 1.

Morborum naturae medici. *Epid. VI. V.* 1.

Non edocta natura, & nulla magistro usa, ea, quibus opus est, facit. *Epid. VI V* 4. *De Alim. VIII.* 8.

Stimulata, & impulsa, a. tis peritis, quae facienda sunt, demonstrat. *De Arte XXII.* 1

Naturarum aliae quidem ad aestatem, aliae vero ad hiemem, bene aut male sunt constitutae. *Aph. III.* 2.

NEPHRITIS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE, & NOTAE ANTECEDENTES.

Aetas senilis. *Aph. III.* 31.

Per sanitatem, hiemis tempore, lumborum frigiditas & gravitas, & alvi suppressio, &c. *Coac.* 487.

Renum dolor forte expectandus, si per sanitatem hiemis tempore, lumborum frigiditas & gravitas, levi ex occasione orta sit, cum alvi suppressione. *Coac.* 487.

NOTAE COMITANTES.

Quibus in urinis bullae superstant, renum affectiones significant, & longam fore invaletudinem. *Aph VII* 34.

Quibus pingue est, & confertum, quod supernatat, his affectiones nephriticas, & acutas significat. *Aph. VII.* 35.

Derepente obortus renum dolor, cum urinae suppressione, calculorum, aut urinae crassae mictionem indicat. *Coac.* 589.

Si quis sanguinem, aut pus mingat, renum aut vesicae exulcerationem significat. *Aph. IV.* 75.

AD PROGNOSIN.

Melancholicis, & nephriticis, haemorrhoides supervenientes, bonum. *Aph. VI.* 11

Renum & vesicae dolores, difficulter sanantur in senibus. *Aph. VI.* 6.

Qui-

Quibus nephriticis &c. dolores circa musculos spinales fiunt, siquidem ad loca exteriora fiant, abscessum exspecta futurum extrorsum: si vero dolores fiant magis ad interna loca, etiam abscessum magis introrsum fore exspecta. *Aph. VII.* 36.

Renibus suppuratis, urinae stillicidium supervenit. *Aph. V.* 58.

AD THERAPIAM.

Cum scammoniae succo, aut ipsa radice, fomento prius adhibito, totum corpus purgare. Postera die, duobus congiis succi ciceris albi, sale iniecto, subpurgare. Post haec potibus, & cibis, & balneis curare; & eadem, quae in urinae stillicidio, pharmaca dare. Quum dolor presserit, multa calida lavare, & tepefactoria parti dolenti adhibere. Quum autem intumuerit, & elevatus fuerit, sub id tempus iuxta renem secare, & extracto pure, arenam per urinam cientibus sanare. *De Int. Affect. XV.* 14 *ad* 19.

NERVI.

AD DIAGNOSIN.

Nervorum impotentia, a calido frequenter adhibito. *Aph V.* 16.

AD PROGNOSIN.

Nervus dissectus, neque augetur, neque coalescit. *Aph. VI.* 19. *VII.* 28. *Coac.* 504.

Nervi quicunque crassi vulnus accipiunt, utplurimum claudos reddunt, praecipueque si obliquum vulnus fuerit, ac in musculorum capitibus, praesertim femorum. *Coac.* 508.

AD THERAPIAM.

Frigidum nervis inimicum, calidum vero utile. *Aph. V.* 18.

NERVORUM DISTENTIO, vid. CONVULSIO.
NERVORUM RESOLUTIO, vid. PARALYSIS.

NIGRORES.

A frigore oriundi. *Aph. V.* 17.

NIMIVM.

Omne multum (nimium) naturae inimicum. *Aph. II.* 51.

NYCTALOPIA.

AD DIAGNOSIN.

Nyctalopia prehenduntur iuvenes, aut pueri, aut etiam adolescentes. *Praedict. II.* 160.

Neque mulieres, neque virgines, quibus menses apparent, hoc morbo tentantur. *Ibid.*

Qui ex diuturno lacrimarum fluxu nyctalopes fiunt, eos interrogare oportet, num quis dolor ante istorum iudicationem occupaverit. *Ibid.*

AD PROGNOSIN.

Nyctalopes sponte evadunt, partim quidem 40. die, partim vero 7. mense: quibusdam etiam toto anno perseverat. Et tempus quidem aestimari debet, & magnitudinis morbi, & aegri aetatis ratione adhibita. *Praedict. II.* 160.

Nyctalopas iuvant supervenientes abscessus, & ad infernas partes tendentes, & qui tamen per iuventutem non admodum contingunt. *Ibid.*

AD THERAPIAM

Medicamentum bibere deorsum purgans, & caput purgare, & cervicem eius quam maxime scarificare, & fame ad multum tempus premere. Vbi vero remiserit, unum aut duo frusta, prout maxime devorare potest, de hepate bubulo crudo, in melle tincto, exhibere. *De Visu IV.*

OBLIVIO, vid. *CAPITIS DOLOR*, *IGNORANTIA*, *RIGOR*.

OCCASIO celeris, *Aph. I.* 1

OCVLI.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE NOCENTES.

Aetas senilis. *Aph.* *III.* 31.

Quotidianae constitutiones aquiloniae. *Aph.* *III.* 17.

VARIAE NOTAE.

Oculi prout validi fuerint, ita etiam corpus. *Epid.* *VI.* *IV.* 48.

Quicunque fulvi, naso acuto, oculis magnis, mali. Quicunque fulvi, simi, oculis magnis, boni. *Epid.* *II.* *V.* 1. 2.

Hydropici ravos oculos habent, & calvi sunt. *Ibid.* 3.

Caput magnum, oculi parvi, balbi, iracundi sunt. *Epid.* *VI.* *VI.* 1.

Caput magnum, oculi nigri & magni, nasum crassum & simum habentes, boni. *Ibid* 5.

Oculi ravi, magni, caput magnum, cervix tenuis, pectora angusta, congrue adaptati hominis sunt. *Ib.* 6.

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Oculorum claritas, ac eorum album ex nigro, aut livido clarum fieri, ad iudicationem confert. Ac quo celerius clarescunt, eo celeriorem iudicationem: at tardius, tardiorem significant. *Coac.* 217.

NOTAE PERICVLI.

Caligine obducti oculi, aut eorum album rubescens, aut livescens, aut nigris venis refertum, nihil probi praesefert. *Coac.* 218. *Praenot.* 4.

Oculus distortus, malo est. *Coac.* 218.

Oculi hebescentes, & obtusi, concreti ac caligantes, malum portendunt. *Coac.* 225. *Praedict.* *I.* 46.

Oculi rubri, a vomitu, *Aph.* *VII.* 3.

In febre ortus oculorum rubor, diuturnam alvi malignitatem praesefert. *Coac.* 219.

In praecipiti malo rectus oculorum obtutus, &c. *Coac.* 227.

Oculi intense splendentes in convulsionibus. *Coac.* 351. *Praedict. I.* 124.

Ex recursatione doloris in lumbis, oculorum perversio, aut distortio, mala est. *Coac.* 314.

NOTAE LETHALES.

Considerare etiam oportet oculorum subtus apparentia in somnis. Si enim albi quid, palpebris commissis, subtus appareat, cui id non ex alvi profluvio est, aut ex potione purgante, pravum signum, & valde lethale. *Aph. VI* 52. *Praenot.* 5.

Oculos lucem refugere, aut illacrymare, aut perverti, atque ex his alterum minorem esse. *Coac.* 218. *Praen.* 4.

Oculos crebro disiicere, gramias ac parvas sordes ipsis adhaerescere, aut albescentem humorem concretum, & tenuem (aegida nominant) habere; aut eorum album augeri, nigrum autem imminui, aut nigrum a superiore palpebra contegi. *Coac.* 218. *Praen* 4.

Oculorum cavitas, & vehemens oculi foras expressio, ac splendoris elisio, adeo ut pupilla extendi nequeat, & cilia retorta, ac fixi oculi, ac continenter conniventes, coloris immutatio; aut palpebras per somnum non committere. *Coac.* 218. *Praenot.* 4.

Oculi perversio, &c. in febre non intermittente, corpore iam debili existente. *Aph IV.* 49. *VII* 73. *Coac.* 72.

Cum oculorum perversione, febribus, & lassitudinis sensu detento, rigor perniciem minatur. Atque in huiusmodi casibus soporati, malum denunciant. *Coac.* 221.

Quae caput quodammodo concutiunt, cum intensa oculorum rubedine, ac manifesto delirio. *Coac.* 163.

Oculus aurigine suffusus, & caligine obductus, &c. in morbo lateris. *Coac.* 388.

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

CONVVLSIONIS.

Oculorum hebetatio, cum animi defectione, promptam convulsionem denunciat. *Coac.* 226.

Oculorum hebetudo, cum voce eiulabunda. *Coac.* 257.

HAE-

HAEMORRHAGIAE.

Oculi praerubri, cum capitis dolore, & alto ſtupore. *Coac.* 166.

Oculi praerubri, cum cervicis dolore. *Praedict I.* 137.

Oculorum acies perturbata, cum ſurditate, capitis gravitate, ac praecordiorum contenſione. *Coac.* 195.

INSANIAE.

Oculi pulvere obſiti, cum voce ſtridula, & anxietudine ex vomitu. *Coac.* 561.

Oculorum motus frequentior, cum praecordiorum pulſu, & turbatione. *Coac.* 282.

AD THERAPIAM.

Oculis nocent lens, poma dulcia, & olera. *Epid. VI.*

Oculorum dolores meri potus, aut balneum, aut fomentum, aut venaeſectio, aut purgatio ſolvit. *Aph. VI.* 31. *VII.* 46.

Oculorum caligines, crebris apparentibus menſibus, ſolvuntur. *Coac.* 552.

OMENTVM.

Os uteri comprimit, in mulieribus praeter naturam craſſis. *Aph V.* 46.

Si omentum exciderit, neceſſe eſt putrefieri. *Aph. VI.* 58. *Coac.* 502.

OPHTHALMIA. LIPPITVDO.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Poſt hiemem ſiccam, & aquiloniam, ver pluvioſum & auſtrinum. *Aph III.* 11.

Tempus aeſtivum. *Aph. III.* 21.

Autumnus aquilonius, & ſiccus. *Aph. III.* 14.

Siccitates. *Aph. III.* 16.

AD PROGNOSIN.

Ophthalmia laborantem ab alvi profluvio corripi, bonum. *Aph. VI,* 17. *Coac.* 224.

Lippitudine affecto suborta febris, solutionem adfert. Sin minus, caecitatis, aut mortis, aut etiam utriusque metus est. *Coac.* 222.

Quibus cum lippitudine capitis dolor accedit, & longo tempore perseverat, caecitatis metus impendet. *Coac.* 223.

AD THERAPIAM.

Ophthalmiam venaelectio solvit. *Epid. VII.*

Ad lippitudinem annuam, ac popularem, conducit purgatio capitis, & ventris inferni. Et si corpus habeat, sanguinis detractio ad quosdam eiusmodi dolores confert. Item cucurbitae circa venas affixae; cibus modicus panis, & aquae potus, &c. *De Visu V.* 1. *& seqq.*

OS.

Oris exulcerationes aestate accidunt. *Aph. III.* 21.

Os amarescens, cum aliis signis, sursum purgante opus esse, indicat. *Aph. IV.* 17.

Os hians, si gracile appareat, nec facile contrahi possit, cum aliis notis, in morbis acutis, mentis emotionem, indeque phrenitidem perniciosam portendit *Coac.* 275.

OS VENTRICVLI, vid. VENTRICVLVS.

OSCITATIO.

Vino cum pari aqua poto solvitur. *Aph. VII.* 56.

OSSA.

AD PROGNOSIN.

Vbi dissectum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut genae pars tenuis, aut praeputium, neque augetur, neque coalescit. *Aph. VI.* 19. *VII.* 28. *Coac.* 505.

Ex osse aegrotante, caro livida, malum. *Aph. VII.* 2.

Ab ossis denudatione erysipelas (malum) *Aph. VII.* 19.

A

A ſphacelo abſceſſus oſſis. *Aph. VII.* 77. *Coac.* 237.
Ab ulceribus diuturnis. *Aph. VI.* 45.

AD THERAPIAM.

Ipſis frigidum inimicum, calidum vero utile. *Aphor. V.* 18.

OSSIVM FRACTVRA.

Quae oſſa reponi non potuerunt, ea neceſſario abſcedere ſciendum eſt; nec non quae prorſus carne nudata ſunt. *De Fractur. XXXVI.*

Ad conſolidationem naſo dies 10. maxillae, claviculae, & coſtis dies 20. cubito 30. tibiae & brachio 40. femori 50. debentur. *De Alim. X.* 2. *ad* 6.

OSSIVM LVXATIO.

Gracilibus magis laxantur articuli, & citius reponuntur, quam bene carnoſis; minusque inflammatione tentantur humidis, & gracilibus, quam ſiccis & carnoſis. *De Artic.*

OXYMEL.

Sputum educit, & facilem reſpirationem reddit. *De Diaet. II.*

PALATVM.

Quibus ad palatum humor colligitur, plerumque in pus vertitur. *Coac.* 238.

Quibus ex palato os diſceſſit, iis medius naſus ſubſidet. *De Alim.*

PALLIDI.

Pallidis, gracilibus, & crebra oris ſalivatione laborantibus, in ſomnis ſudores, boni ſunt. *Coac.* 271.

Color pallidus, aut niger, cum aliis notis corruptelae faciei, lethalis. *Coac.* 212.

PALPEBRAE.

AD PROGNOSIN.

NOTAE LETHALES.

Livefcens palpebra, cum ceteris notis faciei Hippocraticae. *Coac.* 212.

Palpebra perverfa, aut corrugata, livefcens aut pallefcens, cum aliis fignis. *Praenot.* 6.

Qui vehementer efflant, & reflexis funt palpebris, ac per fomnum leviter fufpiciunt, &c. moriuntur. *Coac.* 64.

PALPITATIO.

AD PROGNOSIN.

Quae contingunt in febre circa ventrem palpitationes, mentis emotiones adferunt. *Coac.* 298.

Quos palpitationes in totum occupant, num voce defecti intereunt? *Coac.* 347. *Praedict. I.* 30.

Quae contingunt circa ventrem palpitationes, &c. fanguinis ex naribus profluvium denunciant. *Praedict. I.* 144.

PANIS.

Panis ex tota farina ficcat, & per alvum fecedit. Purus autem magis nutrit, minus vero fecedit. *De Diaet. II. X.* 5. 6.

Panis fermentatus levis eft, & fecedit. Non fermentatus fecedit quidem minus, nutrit autem magis. *Ibid.* 8. 11.

PARALYSIS.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE ANTECEDENTES.

Ex venis in ano fanguinem fundere folitis, aliquantum apparentibus, tenebricofae vertigines obortae. *Coac.* 346.

Vehementes mentis emotiones silentes, absque quiete, oculis quoquoversum intuentes, spiritum efflantes. *Coac.* 476.

Torpores & stupores praeter consuetudinem evenientes. *Coac.* 477.

AD PROGNOSIN.

Quibus cum impotentia motus, pars affecta extenuatur, incurabiles sunt. *Praedict.*

PARAPLEGIA, vid. APOPLEXIA.

PAROTIDES.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE ANTECEDENTES.

Quae convulsionis in morem affligunt, cum alto stupore. *Coac.* 352.

Quae caput quodammodo concutiunt, cum intensa oculorum rubedine, ac manifesto delirio. *Coac.* 163.

In biliosa alvo, molli, stercoracea egerente, apparentes aestus, tumorem ad aures excitant. *Coac.* 626.

Alvi recrementa, quae in spumosa & sincera desinunt. *Coac.* 613.

Alvus stercora nigra demittens, si sopor appareat, tubercula ad aures excitat. *Praedict. I.* 166.

Capitis dolor, cum sopore, & surditate. *Praedict. I.* 168.

Eadem pathemata, cum ascaridibus. *Coac.* 165.

Moderatus capitis dolor, cum inexhausta siti, aut sudore febrem non solvente, nisi alvus erumpat. *Coac.* 173.

Ex praecordiorum tumore biliosis spiratio magna, & febris acuta, tubercula ad aures suscitat. *Coac* 290.

Per febres assiduas pustulae toto corpore enascentes. *Coac.* 114.

Praecordiorum contensio, cum sopore, & incontinenti corporis iactatione, in capitis dolore vexato. *Coac.* 289. *Praedict. I* 169.

Sopor cum incontinenti corporis iactatione, praecordiorum dolore, & parva vomitione. *Coac.* 183. *Praedict. I.* 165.

So-

Sopor, cum tumoribus circa faciem. *Coac.* 183.

Sopor, cum inquietudine corporis, praecordiorum dolore, frequenti & pauca sputatione. *Coac.* 185.

Num sopor aliquis, aut morbus regius, cum singultu, & alvo affatim prorumpente? *Praedict.* I. 154.

Surditas, cum anxietate; vel etiam sopore. *Coac.* 209. *Praedict.* I. 159.

Num urinae cum rigore restitantes, praesertim si altus sopor praegressus sit? *Praedict.* I. 155.

In pervigiliis quibusdam, quae cum angore, & anxietate fiunt, ad aures abscessus maxime obveniunt. *Praedict.* I. 157.

In spirituosis, & anhelatoribus, morbo regio laborantibus, & febre acuta, cum praecordiorum duritie, & tumore, si corporis summa perfrigerentur, magnorum circa aures abscessuum exortum, fortassis exspectare oportet. *Praedict.* I. 164.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

Tussiculae, quae cum crebris oris sputationibus procedunt, tubercula ad aures emolliunt, *Coac.* 204.

Tubercula iuxta aures, in febrientibus cum dolore oborta, quibusdam febre iudicatorio modo deficiente, neque sedantur, neque suppurantur. Haec biliosum alvi profluvium, aut dysenteria, aut crassarum urinarum subsidentia, solvit. *Epid.* I. II. 178. 179.

NOTAE PERICVLI.

Graves aurium abscessus, qui citra iudicationem sensim conquiescunt, & dissipantur, damno sunt. *Praedict.* I. 170.

Tubercula ad aures excitata, in leviter sideratis, malo sunt. *Coac.* 202.

Post ingruentes ad praecordia dolores, cum vel sine alvi profusione, suborta ad aures tubercula, aliaeque suppurationes, malignitatem praeseferunt. *Coac.* 284.

In tumoribus ad aures, urinae celeriter ac pauco tempore

pore concoctae, damno sunt. Quin & perfrigerari itidem malum est. *Coac.* 205.

Quibus iudicationis tempore, exorta ad aures tubercula, non suppurantur, his solutis, morbi reversio pro recidivarum ratione, simili circuitu contingit. In his ad articulos aliquid abscedere posse, sperandum est. *De Iudicat.* 61.

NOTAE LETHALES.

In diuturnis morbis non suppurantia aurium tubercula, mortem adferunt *Coac.* 203.

In diuturnis morbis, suppurati ad aures tumores, nisi pus admodum album, ac sine odore reddant, exitium, praecipueque mulieribus, adferunt. *Coac.* 206.

Ex praecipitibus morbis, in febribus ardentibus maxime, tubercula ad aures exoriuntur, ac nisi iudicatorie solvantur, & maturescant, aut sanguis ex naribus profluxerit, aut crassum sedimentum urina acceperit, aegros interimunt. Prius vero huiusmodi tumores subsidunt, ac conquiescunt. *Coac.* 207.

Quae cum dolore exoriuntur ad aures tubercula, perniciem minantur. *Coac.* 199.

Anxietate vexatis praecordiis, oborta ad aures tubercula mortem adferunt. *Coac.* 302.

In praecordiis ex longo intervallo afflictis, & graveolente alvo, subnatum ad aures tuberculum, mortem adfert. *Coac.* 292. 201. *Praedict.* I. 158.

NOTAE CONVVLSIONIS FVTVRAE.

In tremulis, & anxietate vexatis, parvi ad aures tumores excitati, convulsionem denunciant, si alvus male affecta sit. *Coac.* 353.

Qui sopore, corporis inquietudine, praecordiorum dolore affliguntur, cum frequenti & pauca sputatione, iis tubercula ad aures exoriuntur, ac fortassis sopore tentati ad aliquam convulsionem deveniunt. *Coac.* 185.

CONF. ABSCESSVS ad AVRES.

PA-

PAROXYSMVS.

AD DIAGNOSIN.

Nox ante exacerbationem gravis: ſubſequens vero levior plerumque. *Aph. II.* 13.

AD PROGNOSIN.

DETERIORIS NOTAE.

Qui acceſſione correpti, poſtero die gravius habent, iis malum denunciatur. *Coac.* 78.

Quibus tertio die ſubſiſtit acceſſio, & quarto ingraveſcit, malum denunciatur. Ac metus eſt, ne huiusmodi acceſſiones phrenitim inducant. *Coac.* 79.

Quibus exacerbationes fiunt, quacunque hora dimiſerit febris, poſtridie eadem hora ſi corripuerit, difficulter iudicantur. *Aph. IV.* 30.

Qui per acceſſiones tuſſiunt, & tenuiter exſudant, ii maligne habere iudicandi ſunt. *Coac.* 112.

AD THERAPIAM.

In exacerbationibus cibum ſubtrahere oportet. Exhibere enim noxium eſt. Et quaecunque per circuitus exacerbantur, in exacerbationibus ſubtrahere oportet. *Aph. I.* 11.

His, qui per circuitus exacerbantur, nihil dare oportet, neque cogere, ſed auferre de appoſitionibus ante indicationes. *Aph. I.* 19.

PARTVS.

AD DIAGNOSIN.

Poſt hiemem auſtrinam, pluvioſam, & clementem, ver boreale, ſiccum, & tempeſtuoſum, partus impotentes ac morboſos reddit. *De Aer. Aqu. & Loc. XXVI.* 4. 5.

Quae ante partum in modum cholerae morbi affliguntur, faciles quidem partus edunt, febre autem tentatae maligne habent, tum vero praecipue, ſi quid fauces vexet, aut in febre maligni aliquid appareat. *Coac.* 535.

Quae

Quae in partu oris ventriculi dolorem antea sensere, paulo post foetus deponunt. *Coac.* 547.

Quae praegnantes ante partus laborarunt, subinde rigore corripi solent. *Coac.* 545.

Quibus lochia non repurgantur ante partum, eae faciliori partu defunguntur. *De Foet. exsect.*

Quae animalia minus alimenti foetui suppeditant, celerius pariunt; quae vero plus, tardius. *De Nat. hum.*

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

Quae ex partionibus contingunt exsolutiones, cum torpore, molestiam quidem exhibent, & mentem emovent, nullam tamen perniciem adferunt. Verum etiam purgamentorum muliebrium abundantiam denunciant. *Coac.* 546.

Erumpentia ante partus aquosa, mala. *Coac.* 536. 513.

Ante partus subinde rigore corripi, & citra dolorem parere, periculum indicat. *Coac.* 538.

PARTVS DIFFICILIS.

Mulieri difficulter parienti sternutatio superveniens, bonum. *Aph. V.* 35.

Parientium maxime laborant primiparae. *De Nat. puer.*

CONF. ABORTVS.

PAVORES.

Parvis & recens natis pueris infesti. *Aph. III.* 24.

In febribus, ex somnis pavores, aut convulsiones, malum. *Aph. IV.* 67.

PECTVS.

Frigida, velut nix, glacies, pectori inimica, tusses movent, sanguinis eruptiones, ac catarrhos inducunt. *Aph. V.* 24.

PECTORIS DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tem-

Tempus hiemale. *Aph.* *III.* 23.

Anni tempus aquilonium. *Aph.* *III.* 5.

Quotidianae constitutiones aquiloniae. *Aph.* *III.* 17.

Epotum veratrum. *Coac.* 570.

AD PROGNOSIN.

In dorsi ac pectoris dolore, cruentae mictionis suppressio, laboriosum exitum adfert. *Coac.* 272.

Pectoris dolor cum febre, & alvus perturbata cum torpore, nigras deiectiones praesefert. *Coac.* 274.

Dolor in pectore fixus, cum torpore, suborta febre malum indicat, iique celeriter mortem oppetunt. *Coac.* 315. *Praedict.* *I.* 70.

CONF. LATERIS DOLOR, PERIPNEVMONIA, PLEVRITIS.

PEDES.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

Dolor ad pedes obortus, insaniam solvens. *De Iudicat.* 65.

Dolores pedum vehementes, ab alvi profluvio diuturno, & tussi liberantes. *Ibid.* 78.

NOTAE PERICVLI.

Pedes & manus sudare, & crura dispergere, ubi vehemens calor non subest. *Coac.* 497.

NOTAE LETHALES.

Manuum ac pedum tumores, cum rubore. *Coac.* 63.

PERFRIGERATIO, vid. FRIGVS.

PERINAEVM, vid. MICTIO.

PERIPNEVMONIA. PVLMONIS INFLAMMATIO.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph.* *III.* 30.

Tempus hiemale. *Aph.* *III.* 23.

Vinolentia, & gulositas piscium capitonum, & anguillarum. *De Int. Affect.* *VII.* 2.

NOTAE COMITANTES.

Febris acuta, spiratio frequens & calida, anxietas, impotentia, iactatio, dolor sub scapulas, & ad claviculam, & ad mammam, gravitas in pectore, quandoque etiam delirium. Quidam dolorem non sentiunt, donec tussire inceperint. *De Morb. III XVI.* 3. *ad* 10.

In pulmonis inflammationibus, si lingua tota alba fiat, ac aspera, ambae pulmonis partes inflammatione vexantur: quibus vero dimidiata lingua, qua parte id apparet, inflammatio affligit. *Coac.* 400.

Quibus ad unam claviculam dolor subit, iis una superior pulmonis ala laborat; quibus vero ad ambas claviculas dolor extenditur, ambae superiores pulmonis alae laborant; quibus ad mediam costam, media: quibus vero, ad quam partem pulmo extenditur, dolor permeat, inferna ala laborat: quibus una tota pars laborat, quae ei parti respondent, omnia aegrotant. *Coac.* 400.

Si suspensae utrinque pulmonis partes, Aortae dictae, tanta inflammatione tententur, ut ad latus adhaereant, illa corporis parte resolutionem sentiunt; & ad costam livores foris fiunt, quos veteres ictos, aut sidere percussos vocabant. Quod si tanta non est inflammatio, ut adhaereant, dolor quidem totum occupat, neque tamen resolutionem sentiunt, neque livores habent. *Coac.* 400.

Ex pulmonis suppuratione, interdum circa ventrem dolores, ac claviculam, & cum incontinenti corporis iactatione aliquantulum stertere, sputi copiam in pulmone indicant. *Coac.* 18.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALUTARES.

Facile morbum sustinere, dolore defungi, sputum promte expuere, facile spirare, siti vacuum esse, reliquum corpus aequaliter incalescere, ac molle esse.

Ad haec somnos, sudores, urinarum eductionem laudabiliter fieri. *Coac.* 393. *Praenot.* 101.

Quibus ex morbis pulmonis ad aures abscessus oboriuntur, & ad inferiores sedes suppurant, & fistula facta aperiuntur, iis secunda valetudo contingere solet. *Praenot.* 111.

In vehementibus, & periculo proximis pulmonum inflammationibus, abscessus ad crura omnes sane utiles. Optimi vero, qui fiunt sputo mutationem subeunte. Si namque tumor & dolor suboriatur, sputo pro flavo in pus verso, & foras prodeunte, hoc modo tum securissime aeger superstes futurus est, tum citissime citra dolorem abscessus conquiescet. *Praenot.* 114.

In omnibus pulmonis & laterum doloribus, sputum celeriter prompteque expui convenit, sputoque flavum valde permixtum apparere. *Praenot.* 86. *Coac.* 390.

In pulmonis inflammationibus, si inter initia morbi sputum excernitur flavum, non multo permixtum sanguine, salutare est, & confert admodum. *Praenot.* 95. *Coac.* 390.

Sputa omnium optima, quae dolorem sedant. *Praenot.* 98. *Coac.* 391.

Sputa mucosa, & fuliginosa, tum celeriter colorantur, tum securiora sunt. Quae vero intra 5. diem, dum coctionem accipiunt, colorantur, meliora censentur. *Coac.* 390.

Pulmonis inflammationes, quae ex morbo laterali permutationem accipiunt, iis, quae ab initio fiunt, securiores sunt. *Coac.* 397.

Purulenti ex lateris morbo, aut pulmonis inflammatione, utplurimum brevi servantur, quos febris, statim atque eruptio facta est, dimittit, & cibos appetunt, & quibus pus facile educitur, album, odoris expers, laeve, eiusdem coloris, sine pituita, ac alvus exigua, & coacta reddit. *Coac.* 402.

NOTAE PERICVLI.

Notae praecedentibus bonis oppositae. *Coac.* 393. *Praen.* 102.

In

In omnibus pulmonis morbis, gravedines & sternutationes, tum praeire, tum subsequi, malum. *Praenot.* 93. *Coac.* 399.

A pleuritide peripneumonia, malum. *Aph. VII.* 11.

A peripneumonia phrenitis, malum. *Aph. VII.* 12.

A pleuritide, aut a peripneumonia detento, alvi profluvium superveniens, malum. *Aph. VI.* 16.

Vbi residere vult aeger, malum quidem indicium in acutis morbis, sed longe pessimum in pulmonum & laterum affectibus. *Coac.* 497.

In pulmonum vitiis, supra modum rubrae sanguinis stillae, malum denunciant. *Coac.* 412.

In pulmonum inflammationibus siccis, qui pauca concocta educunt, metuendi sunt. *Coac.* 416.

Omnia sputa mala sunt, quae dolorem non sedant. *Praenot.* 97. *Coac.* 391.

Sputum, si multo post dolorem, flavum, aut non commixtum reiicitur, nec non sine multa tussi, vitiosum censetur. *Coac.* 390. *Praenot.* 87.

Omnino autem pravum, flavum si sincerum est, & glutinosum, & candidum, & rotundum, itemque vehementer ex virore pallescens; quodque spumosum est, & lividum, & aeruginosum. Aliquanto vero deterius, quod sic est sincerum, ut nigrum quoque videatur. *Coac.* 390. *Praenot.* 88. 89. 90. 91.

Sputum flavum, cui paulum sanguinis admixtum est, quod 7. die, vel longiore spatio tale apparet, non adeo tutum. *Coac.* 390. *Praenot.* 96.

Pravitatem etiam indicant, & spumantia, & flava, & nigra, & aeruginosa, viscosaque, & quaecunque celeriter colorantur. *Coac.* 390.

Sputa viscida, salsuginosa, cum raucitate, malo sunt. Quod si ad haec aliquid in pectore sublatum sit, malum significat. In his extenuatis, cervicis dolores perniciem denotant. *Coac.* 413.

Malum quoque, ubi nihil expurgatur, neque ipsum proiicit pulmo, sed propter multitudinem fervet in gutture. *Praen.* 92.

Vrina mala, quae post potionem celeriter meitur, praesertimque in lateris doloribus, & pulmonis inflammationibus. *Coac.* 579.

In pulmonum inflammationibus periculum indicat, quae initio coctionem habet, verum post 4. diem tenuis evadit. *Coac.* 580.

Si neque sputum recte excernatur, neque urina bonam subsidentiam habere videatur, periculum est, ne articulo claudicet aeger, aut ei multum negotii exhibeatur. *Praenot.* 115.

NOTAE LETHALES.

Si dispareant abscessus, & intro recurrant, sputo non prodeunte, & detinente febre, gravis morbi periculum, & delirii, & mortis, aegro imminet. *Praen.* 116.

Ex suppuratis, quos pulmonum morbi concitarunt, fere seniores moriuntur; at ex ceteris suppurationibus, iuniores potius intereunt. *Praenot.* 117.

Densa & exercitationi dedita corpora, citius ex morbo laterali, & pulmonis inflammatione intereunt, quam quae sine exercitatione degunt. *Coac.* 398.

In pulmonis inflammationibus siccis, aliquantum extenti in pectoribus rubores, perniciem denunciant. *Coac.* 417.

Sputum valde sanguinolentum, aut quod statim initio livescit, perniciem praesefert. *Coac.* 390.

Ex lateris morbo, aut pulmonis inflammatione purulenti moriuntur, quos febres consequuntur, & sitis, & cibi fastidium, si pus lividum, aut ex pallido virescens, aut pituitosum, aut spumans, ac insuper si alvus est liquida. Quibus autem ex praedictis partim quaedam adsunt, partim vero absunt, hi quidem moriuntur, illi vero post longa temporum intervalla sani evadunt. *Coac.* 402.

In pulmonis inflammationibus, quibus circa initia urinae crassae sunt, deinde ante 4 diem tenues evadunt, mors impendet. *Coac.* 415.

Quibus una cum corde pulmo totus inflammatur, ita ut in latus incumbat, ii toto corpore nervorum resolu-

ſolutionem ſentiunt, & ſine ſenſu iacet aeger frigidus, ſecundo autem, aut tertio die interit. Quod ſi contingat, ut cor nihil tale quiddam, aut etiam minus patiatur, diutius vivunt, nonnulli vero etiam ſervantur. *Coac.* 401.

NOTAE SVPPVRATIONIS FVTVRAE.

Horum locorum dolores, qui neque per ſputorum purgationes, neque foecum alvi deiectionem, neque venaeſectionem, aut medicamenta purgantia, & victus rationem ſedantur, eos ad ſuppurationem tendere ſciendum eſt. *Praenot.* 99. *Coac.* 394.

Quicunque pulmonis inflammatione laborant, neque diebus iudicatoriis repurgantur, verum cum delirio 14. dies ſuperarunt, iis ſuppurationis metus impendet. *Coac.* 396.

Qui pus intro collecturi ſunt, iis primum quidem ſalſuginoſum ſputum expuitur, deinde dulcius. *Coac.* 403.

Fiunt ex pulmonibus inflammatione abſceſſus, aliis quidem in partibus inferioribus, quos circa praecordia inflammatio fatigat; aliis vero in ſuperioribus partibus, quibus praecordia tumoris, & doloris ſunt expertia, ſpirandi autem difficultas pro tempore acceſſerit, quae deinde ſine ulla evidenti occaſione quieſcat. *Coac.* 395. *Praenot.* 113.

NOTAE SVPPVRATIONIS iam FACTAE.

Circa ſuppurationum initia fieri ſolet febris, aut rigor, & pro dolore pondus, in eo loco, qui dolore affligebatur. *Praenot.* 103.

Quae ob puris intro collectionem febres intermittunt, in his magna ex parte aegri tenuibus ſudoribus diffluunt. *Coac.* 419.

Ex pulmonis ſuppuratione, interdum circa ventrem dolores, ac claviculam, & cum incontinenti corporis iactatione aliquantulum ſtertere, ſputi copiam in pulmone indicant. *Coac.* 18.

AD THERAPIAM

Primum caput levius facere, quo nihil influat ad pectus. Primis diebus sorbitiones dulciores adhibere, die 4. 5. & 6. non amplius dulces, sed pingues. Si pro ratione spuere non possit, ex pharmacis sursum educentibus dare. *De Morb. III. XVII.* 45. *ad* 50.

In primis 4. aut 5. diebus, alvum subducere oportet, & hoc paulo amplius, quo & febres obtusiores sint, & dolores leviores. Quum autem evacuatus fuerit, & corpore debilis, infernam alvum tertio quoque die deorsum commovere: & quo corpus potens sit, & supernae regiones humoris exsortes. *Ibid.* 51. *ad* 57.

Oportet infernam alvum, neque valde suppressam esse, ut ne febres sint acutae: neque valde egerere, quo saliva sursum educi possit, & aeger viribus valeat. At medicamenta sursum educentia, 6. & 7. ac 9. die, &c. morbo adhuc ulterius progresso, magis exhibere. *Ibid.* 58 *ad* 61.

Peripneumoniae eclegma utile: galbanum & nux pinea, cum melle attico. *De Vict. acut.*

CONF. EMPYEMA, PLEVRITIS, PVS, VOMICA.

PHLEBOTOMIA, vid. VENAESECTIO.

PHRENITIS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE & NOTAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph. III.* 30.

Alba a partu prodeuntia, & his subsistentibus, surditas cum febre, & lateris dolore acuto. *Coac.* 525.

Lateris dolor cum bilioso sputo, praeter rationem evanescens. *Coac.* 418.

Accessio febrilis die 3. subsistens, & 4. ingravescens. *Coac.* 79.

In febre ardente, aurium sonitus, cum visus hebetudine, & ad nares gravitate, nisi sanguis ex naribus profluat. *Coac.* 131. 194.

In

In praecipiti morbo, capitis dolor, & praecordia revulsa, nisi sanguis ex naribus profluat. *Coac.* 119.

Dementiae, in quibus aegri sunt tremuli, aut aliquid investigantium more sensim contrectant, aut palpant. *Coac.* 76. *Praedict.* *I.* 34.

Exscreatio frequens, siquidem etiam aliud quoddam signum adfuerit, phrenitidem portendit. *Coac*, 244. *Praedict.* *I.* 6.

Lingua ex resiccatione densa, & aspera. *Praedict.* *I.* 3.

Vehementi insania detenti, tremuli, cum crebra sputatione, metus est, ne phrenitici evadant. *Coac.* 94.

Frons contracta, cum vultu bene colorato, tetrico, ac superciliose, in morbo acuto. *Coac.* 213.

Corporis iactationes, & incontinentiae, in febre, cum perfrigeratione, & superiorum partium tenui sudore. *Praedict.* *I.* 27.

Fauces in morbis acutis dolentes, graciles, parvae, suffocativae, cum ore hiante, &c. *Praedict.* *I.* 11.

In graviter & acute mente emotis, si febris iterum repetat cum sudore, phrenitici evadunt. *Praedict.* *I.* 15. *Coac.* 95.

Lateris dolore citra inflammationem affecti, cum turbulentis, tenuibus, moderatis, in phrenitidem labuntur. *Coac.* 411.

Quae sensim feroces fiunt mentis emotiones, &c, *Coac.* 85. 155. 246.

Qui inter initia sopore detenti, capitis, lumborum, cervicis, praecordiorum dolore, ac insomnia conflictantur, considerandi num phrenitici evadant? *Coac.* 179. *Praedict.* *I.* 1.

Vrinae decolores, suspensa quaedam in medio nigra habentes, cum pervigilio, & perturbatione, phrenitidem denunciant. *Coac.* 582. *Praedict.* *I.* 4.

NOTAE COMITANTES.

Septi transversi dolor, febris, mentis emotio, intenti oculi. *De Morb.* *III.* *IX.* 3. 6.

Phrenitici parum bibunt, ex levibus strepitibus facile irritantur; tremuli sunt, aut convulsionibus tentantur. *Coac.* 96.

AD PROGNOSIN

NOTAE MELIORES.

Quae in phreniticis manifesta apparent insomnia, probanda sunt. *Coac.* 90.

NOTAE PERICVLI.

Qui supra 40. annos phrenitici fiunt, non admodum sanantur. *Aph. VIII.* 1.

In phrenitide albicans deiectio, ac torpor, malum denunciat. His succedens rigor, pessimus. *Coac.* 91. *Praedict. I* 13.

A peripneumonia phrenitis, malum. *Aph VII.* 12.

Alvi praerubra proluvies. *Praedict. I.* 2.

In phreniticis initio moderatum esse, sedatum, & facilem, crebro vero permutari, malum est; quin & sputatio frequens, mala est. *Praedict. I.* 12. *Coac.* 92.

Quibus adsunt superiorum partium tenues sudores, cum perfrigerationibus, nec sine febre, ii corporis incontinentia, & phrenitide vexati, praeceps periculum denunciant. *Coac.* 69.

Quibus urinae pellucidae, albae, malae. Maxime autem in phreniticis observantur. *Aph.* IV. 72.

NOTAE LETHALES.

In phreniticis narium stillatio perniciem ostentant, idque praecipue, si 4. inter initia die contingat. *Praedict. I* 1.

Morbus acutus praegressus, in eoque fauces graciles, ac dolentes, cum ore hiante, &c. *Coac.* 275.

In intensa phrenitide tremores, lethales. *Coac.* 97. 93. *Praedict. I.* 9.

In febribus, vehementes mentis emotiones, cum taciturnitate, in eo, qui voce defectus non est, perniciem minantur. *Coac.* 65.

NOTAE CONVVLSIONIS FVTVRAE.

Crebrae in phreniticis permutationes, convulsiones denunciant, ac pravae sunt. *Coac.* 101. *Praedict. I.* 28.

VO-

VOMITVS NIGRI.

Crebrae in phreniticis cum perfrigeratione ſputationes, nigrorum vomitionem praenunciant. *Coac.* 102. *Praedict.* *I.* 31.

AD THERAPIAM.

Phrenitico ad dolorem danda ſunt, quae in pleuritide; & tepor faciendus, ubi dolor haeret. Sed & alvus curanda, & reliqua ſimiliter facienda ſunt, excepto potu. Potu vero utendum eſt quocumque alio volueris, praeter vinum. Aut acetum, & mel, ac aquam dato. Vinum autem non convenit mente motis, neque in hoc morbo, neque in quibusvis aliis. Conducit autem in hoc morbo, etiam caput multa calida lavare. Mollito enim corpore, fudor quoque magis ſequitur, & alvus, & urina ſecedit. Et aeger ipſe ſe ipſo temperatior evadit. *De Affect.* *X.* 8. *ad* 16.

CONF. DELIRIVM, MANIA.

PHTHISIS. TABES.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas iuvenilis. *Aph.* *III.* 29.

Aetas ab anno 18. ad 35. *Aph.* *V.* 9. *VIII.* 7. *Coac.* 439.

Tempus autumnale. *Aph.* *III.* 22.

Poſt aeſtatem ſiccam, & aquiloniam, autumnus pluvioſus, & auſtrinus. *Aph.* *III.* 13.

Siccitates. *Aph.* *III.* 16.

A puris ſputo, tabes, & fluxus. *Aph.* *VII.* 16.

Haemorrhoides diuturnae curatae, niſi una ſervata fuerit. *Aph.* *VI.* 12.

Suppuratio ex pleuritide, niſi intra 40. dies, ex quo ruptio fuerit facta, repurgentur ſuperne. *Aph.* *V* 15.

A tuberculo pulmonis ſputum purulentum, ultra dies 40. a ruptione facta, excurrens. *Coac* 404.

Ruptio venarum craſſarum, & ex capite deſtillatio. *Coac.* 438.

A ſan-

A sanguinis vomitu tabes, & puris purgatio sursum. *Aph. VII.* 78.

NOTAE ANTECEDENTES.

Vbi horror in malis subinde incidit, cum difficultate spirandi, tabes denunciatur. *Coac.* 17.

Intestinorum levitates, cum spirandi difficultate, & pectoris morsu, ad tabem tendunt. *Coac.* 469.

Pustularum eruptiones, velut summa cute leviter lacerata, aut vellicata, totius habitus tabem, & corruptionem denunciant. *Coac.* 444.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

Autumnus tabidis malus. *Aph. III.* 10.

In naturis ad tabem prompte comparatis, si cum febre fluxiones ad gingivas, & dentes compareant, malum denunciant. *Coac.* 441.

Tabes maxime periculosae sunt, quae ex ruptione venarum crassarum, & ex capitis destillatione contingunt. *Coac.* 438.

In tabidis pruritum sentientia corpora, ab alvi suppressione, malo sunt. *Coac.* 440.

Praecordia sublata, subsistente alvo, malum denunciant, praecipue vero in his, qui ex longo intervallo contabescunt, & quibus alvi diffluunt. *Coac.* 287. 442.

NOTAE LETHALES.

A tabe detento alvi profluvium superveniens, lethale. *Aph. V.* 14. *Coac.* 436.

A tabe, fluxus ex capite. A fluxu, alvi profluvium. Ab alvi profluvio, inhibitio purgationis sursum. Ab inhibitione, mors. *Aph. VII.* 78.

A puris sputo, tabes, & fluxus. Postquam vero sputum retinetur, moriuntur. *Aph. VII.* 16. 78.

Quibus tabe laborantibus, capilli de capite defluunt, hi alvi fluxu superveniente, moriuntur. *Aph. V.* 12. *Coac.* 436.

A tabe vexatis, si sputum, quod extussiunt, prunis su-

ſuperfuſum graviter oleat, & capilli de capite defluant, lethale. *Aph. V.* 11. *Coac.* 434.

Tabidis in aquam marinam expuentibus, ſi pus fundum petit, celerem perniciem denunciat. Sit autem marina aqua in aeneo vaſe. *Coac* 435.

Cum ſpirandi difficultate areſcentes in tabe, cruda multa educentes, exitialiter habent. *Coac.* 445.

Ex his, qui cum pernicie conſumpti ſunt, nonnulli ante mortem ſubinde rigoribus corripiuntur. *Coac.* 443.

NOTAE DELIRII FVTVRI.

Sputorum retentiones in tabeſcentibus, mentem ad delira verba commovent. *Coac.* 437.

AD THERAPIAM.

Lac dare convenit tabidis, non admodum febricitantibus. *Aph. V.* 64.

Dare lac aſininum coctum ad ſubpurgationem, aut bubulum, aut caprinum. Bibere lac bubulum crudum, tertia aquae mulſae parte admixta, per 45. dies, admixto etiam origano. Caput prius purgare, pharmaco ad nares appoſito. Cibaria autem, & obſonia dare, neque pinguia, neque nidoroſa, neque valde acria. *De Int. Affect. XI.* 25. *ad* 28.

Tabidis purgationes ſurſum, vitandae. *Aph. IV.* 8.

PINGVES, vid. HABITVS.

PITVITA.

Cum bile morborum omnium eſt cauſa. *De Affect. I.* 8.

Hieme augetur. *De Nat. hum. XIV.* 15.

Quibus ſpumoſae egeſtiones in alvi profluviis, his de capite pituita defluit. *Aph. VII.* 30.

In doloribus circa umbilicum, cum palpitatione, ſub iudicationem conferta, & crebra pituita, cum dolore prodit. *Coac.* 300.

Quibus inter Septum transverſum, & ventrem, pituita excluditur, & dolorem exhibet, in neutrum ventrem ha-

habens transitum, his per venas in vesicam pituita versa, morbi solutio fit. *Aph. VII.* 54.

PLEVRITIS. LATERIS DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas virilis. *Aph. III.* 30.
Tempus hiemale. *Aph. III.* 23.
Acidum ructantes non admodum pleuritici fiunt. *Aph. VI.* 33.

NOTAE COMITANTES.

Dolor lateris, febris & horror, frequens spiritus, erectae cervicis spiratio, tussis, sputum subbiliosum, velut a mali punici corio, si non ruptiones habuerit: si vero habuerit, etiam sanguineum. Est autem & sanguinea pleuritis, in qua subcruenta reiiciuntur. Et est quidem biliosa, mitior, si non ruptiones aeger habeat: sin minus dolorosior, &c. *De Morb. III.* XIX. 2. *ad* 9. *De Affect. VIII.* 2. *ad* 7.

AD PROGNOSIN.

NOTAE IVDICATIONIS.

Pleuritides biliosae, & sanguineae, fere 9. aut 11. die iudicantur, ac maxime sanescunt. *Coac.* 387. *De Morb. III. XX.* 5.
Quibus in morbo laterali, lingua circa initia biliosa est, hi intra septem iudicantur: quibus vero 3. ac 4. die, circa nonum. *Coac.* 383.
Quod si bulla aliquantulum livescens, in lingua appareat initio, qualis excitatur ferro candente in oleum intincto, difficilior fit solutio, & iudicatio quidem ad 14. diem deducitur. Sanguinem autem plurimum expuunt. *Coac.* 384.
Sputum in morbo laterali, ubi maturescere, & expui 3. die coeperit, celeriores solutiones facit; quod si posterius, tardiores. *Coac.* 385.

In

In pleuriticis ſputum, ſi ſtatim appareat veniente morbo, abbreviat; ſi vero poſtea appareat, producit. *Aph. I* 12.

Laterum dolore affectis, urina aliquantulum rubra, levem habens ſubſidentiam, ſecuram iudicationem praenunciat. Quae vero aliquantulum pallida, bene florulenta eſt, & albam habet ſubſidentiam, celerem quoque. *Coac.* 586.

NOTAE SALVTARES.

In morbo laterali affectis, dolores, & alvum emolliri, utile eſt, ſputa colorari, nullos in pectore ſtrepitus fieri, urinam recte procedere. *Coac.* 386.

Ceterae notae ſalutis, ut in PERIPNEVMONIA.

NOTAE PERICVLI.

Morbum aegre ſuſtinere, ſpirationem magnam ac denſam eſſe, dolorem minime ſedari, ſputum aegre reiicere, vehementem ſitim eſſe, corpus a febre inaequaliter detineri, alvum & latera vehementer calere, fronte, manibus, & pedibus frigidis, urinas vero, & alvi excrementa, & ſomnos, & ſudores, minus laudabiliter fieri. *Praenot.* 102. *Coac.* 393.

Quibus in morbo laterali, initio quidem dolores leves ſunt, 5. vero aut 6. die ingraveſcunt, fere ad 12. perveniunt, raroque ſervantur, ſed praecipue 7. ac 12 die periculum ſubeunt. Quod ſi bis 7. evaſerint, ſervantur. *Coac* 387.

Morbi laterales ſicci, & in quibus nihil expuitur, graviſſimi ſunt. Metuendi quoque, in quibus dolores ad ſuperiora tendunt. *Coac.* 381.

Morbi laterales graviores, qui ſine divulſionibus, quam qui cum divulſionibus contingunt. *Coac.* 382.

A pleuritide peripneumonia, malum. *Aph. VII.* 11.

In dolore lateris, ſanguinis e naribus ſtillatio, mala eſt. *Coac.* 405.

Qui in morbo laterali ſputa reiiciunt purulenta, aliquan-

quantulum biliosa, rotunda, aut purulenta aliquantulum cruenta, iis temporis progressu periculum creatur. *Coac.* 407.

Sputum quodcunque dolorem non tollit, malum significat; quod vero solvit, bonum. *Coac.* 391. *Praenot.* 97. 98.

Vrina, quae admodum rubra, & bene florulenta, sedimentum pallidum, laeve, ac purum habet, diuturnum, valdeque turbulentum morbum fore, & in alium transiturum, non tamen perniciosum, praenunciant. *Coac.* 586.

Alba, diluta, hordei tosti non exacte moliti crassioribus frustulis simile habens sedimentum, fulvum, dolorem & periculum denunciat. *Ibid.*

Quae pallida fulvum habet sedimentum, hordei tosti non exacte moliti crassioribus frustulis simile, diuturnitatem, ac periculum indicat. *Ibid.*

A pleuritide, aut peripneumonia detento, alvi profluvium superveniens, malum. *Aph. VI.* 16

Ceterae notae periculi, ut in PERIPNEVMONIA.

NOTAE LETHALES.

Densa & exercitationi dedita corpora, citius ex morbo laterali, & pulmonis inflammatione intereunt, quam quae sine exercitatione degunt. *Coac.* 398.

In extenuatis, post sputa viscida, salsuginosa, cum raucitate, cervicis dolores perniciem denotant. *Coac* 413.

Quibus cum bilioso, purulentum sputum, aut seorsum, aut simul permixtum educitur, ii utplurimum 14. die intereunt, nisi malum, aut bonum aliquod ex his, quae prius descripta sunt, contingat. Alioqui certe pro ratione mors exspectanda est, atque in his praecipue, quibus 7. die sputum huiusmodi procedere coepit. *Coac.* 392.

In morbo laterali, quibus circa initia in totum purulentae sunt spuitiones, ii 3. die, aut 5. moriuntur. Quos si superent, nec longe melius habuerint, 7. aut 9. aut 11. suppurati fiunt. *Coac.* 379.

Per-

Perniciem denunciant ſputa nigra, fuliginoſa, aut quibus qualia ex vino nigro fiunt. *Coac.* 407.

Quibus in morbo lateris, plurimus ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonat, & vultus demiſſus eſt, oculusque aurigine ſuffuſus, & caligine obductus, in his mors exſpectanda eſt. *Coac.* 388.

Purulentos moderatius habentes, ſi ſputa graveolentia conſequantur, recidiva interimit. *Coac.* 406.

Quibus, ſi concutiuntur, pus lutulentum, & graveolens prodit, utplurimum moriuntur. *Coac.* 409.

Quibus ſpecillum a pure, velut ab igne, coloratur, ii fere moriuntur. *Coac.* 410.

In laterum doloribus, urina cruenta, obſcura, cum eo, quod ſubſidet, vario & indiſcreto, utplurimum in 14. diebus mortem adfert. *Coac.* 581.

Laterum dolore affectis, in propinquo mortem eſſe ſignificat, quae viridis nigrum habet ſedimentum, aut furfuribus ſimile. *Coac.* 581.

NOTAE SVPPVRATIONIS FVTVRAE.

Qui pleuritici facti, non repurgantur ſuperne in 14. diebus, his in ſuppurationem convertitur. *Aph. V.* 8.

Ad lateris dolorem inſuper accedente ſtrangulatu, ſuppurationis futurae ſpes eſt. *Coac.* 113.

Lateris dolor, cum diuturna febre, puris eductionem fore denotat. *Coac.* 421.

Qui ſubinde horrore corripiuntur, ad ſuppurationem deveniunt. Quin etiam febris talem ad ſuppurationem ducit. *Coac.* 422.

SVPPVRATIONIS iam FACTAE.

Febris non dimittens, interdiu levior, noctu gravior, ſudores multi, tuſſes, absque ſputo notabili, oculi cavi, malae rubentes, ungues adunci, digiti ſummi incaleſcentes, in pedibus tumores, ciborum inappetentia, puſtulae toto corpore exortae. *Praenot.* 105. *Coac.* 402.

Suppurationis initium fore, ratione comprehendere oportet,

tet, ab eo die, quo primum aeger febricitavit, aut etiam primum rigor prehendit, & si pro dolore, sibi pondus inesse in eo loco, qui dolore affligebatur, dixerit. *Ista* namque circa suppurationum initia fieri solent. *Praenot.* 103.

Quibus latus in tumorem sublatum est, ac calidius existit, ubi in alterum latus incumbentibus, pondus quoddam suspensum esse videtur, iis pus una in parte collectum est. *Coac.* 428. *Praenot* 104.

Quos ex lateris dolore cibi fastidia comitantur, iis os ventriculi aliquantulum dolet, & sudoribus diffluunt. Vbi autem facies ruboribus velut efflorescit, & alvus est liquidior, pus in pulmonibus collectum habent. *Coac.* 423.

Quae ob puris intro collectionem febres intermittunt, in his magna ex parte aegri tenuibus sudoribus diffluunt. *Coac.* 419.

NOTAE PHRENITIDIS FVTVRAE.

Lateris dolor cum bilioso sputo, praeter rationem evanescens, aegros in vehementem, & furiosam mentis emotionem agit. *Coac.* 418.

DEIECTIONIS SANGVINOLENTAE, & NIGRAE.

Surditas pus intro colligentibus suborta, sanguinolentam deiectionem denunciat. His sub mortem nigra egeruntur. *Coac.* 420.

AD THERAPIAM.

Ad lateris dolorem dare, quod pituitam & bilem a latere deducat; alvum curare per clysterem subducentem, ac frigefacientem; exhibere potum, & sorbitionem; potiones dare acidiores, quo sputum de latere depurgetur; quum autem pus purgari inceperit, latus calefacere conducit, & forinsecus maturare ea, quae circa latus sunt, *De Affect. VIII.* 8. *ad* 15.

In dolore lateris, sive ab initio, sive postea, calefactoriis resolutionem tentare, non alienum est. Ex calefactoriis vero optima est aqua calida, in utre, aut in ve-

vesica, aut vase aeneo, aut testaceo admota. Commode etiam spongia mollis, magna, ex aqua calida expressa apponitur. Vel hordeum, & ervum, in aceto diluto dissoluta ac fervefacta, & in marsupia coniecta; & furfur eodem modo. Siccum autem fomentum praebent sal, & milium torrefactum, in laneis sacculis convenientissimum. *De Vict. acut. XI.*

Si dolor ad claviculam de se significationem praebeat, aut gravitas ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transversum, venam secare prodest in cubiti flexura internam, & non cunctari copiosum sanguinem detrahere, donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro & rubicundo, lividus. *Ibid. XII.*

Si sub septo transverso fuerit dolor, ad claviculam autem de se significationem non praebeat, alvum mollire oportet, &c. *Ibid.*

CONF. EMPYEMA, PERIPNEVMONIA, PVS, SPVTVM, VOMICA.

PODAGRA, vid. ARTHRITIS.

POLYPVS.

AD DIAGNOSIN.

Si polypus fiat in naso, ex medio cartilaginum dependet, veluti gurgulio; & ubi expirationem facit, progreditur foras, & est mollis: ubi vero inspirationem facit, retrocedit: & loquitur obscure: & quum dormit, stertit. *De Morb. II. XXXIII. 2. ad 7.*

AD THERAPIAM.

Si in nare polypus nascatur, eximitur laqueo, ex naso ad os distractus. Aliqui etiam pharmacis erodunt. *De Affect. VI. 1. ad 4.*

POTVS.

A multo potu rigor, & delirium, malum. *Aph. VII. 7.*

Paulo deterior, & potus, & cibus, iucundior autem,

eligendus potius, quam meliores quidem, sed ingratiores. *Aph. II.* 38.

Facilius est repleri potu, quam cibo. *Aph. II.* 11.

PRAECORDIA, vid. HYPOCHONDRIA.

PRAEGNANS, vid. GRAVIDA.

PRAEPVTIVM.

Dissectum, neque augetur, neque coalescit. *Aph. VI.* 19.

PROCERITAS.

Procero corpore iuventutem quidem degere, liberale est, nec deforme: insenescere vero, incommodum, & parvis deterius. *Aph. II.* 54.

PRVRITVS.

AD DIAGNOSIN.

Pruritui per totum corpus aetas senilis obnoxia. *Aph. III.* 31.

Ad dentitionem accedentibus, gingivarum pruritus. *Aph. III.* 25.

AD PROGNOSIN.

In tabidis pruritum sentientia corpora, ab alvi suppressione, malo sunt. *Coac.* 440.

Quibus inferiores partes male afficiuntur, vehementibus pruritibus prius obortis, iis urina fabulosa fit, & subsistit. At qui perniciose habent, iis mens obtorpescit. *Coac.* 488.

Pruritus omnibus nigrorum secessum denunciant, & grumos vomitione refusos. *Coac.* 636.

PVDENDA, vid. GENITALIA.

PVERI, vid. AETAS.

PVLMONES.

Mors subit, si in arteriam & pulmonem insignes valde plagae inflictae sunt, ita ut percusso pulmone, minor

nor ſit, qui per os prodit ſpiritus, quam qui per vulnus excidit. *Coac.* 509.

PVLMONIS INFLAMMATIO, SVPPVRATIO, TVBERCVLVM, vid. PERIPNEVMONIA, PVS, VOMICA, EMPYEMA.

PVLSVS.

Pulſus tardi, & lenti, in lethargicis. *Coac.* 139.

PVRGAMENTA MVLIEBRIA, vid. MENSTRVA, LOCHIA.

PVRGATIO SPONTANEA.

In perturbationibus alvi, & vomitibus ſponte evenientibus, ſiquidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert & facile ferunt: ſin minus, contrà. *Aph. I.* 2.

PVRGATIO MEDICA.

INDICANTIA VARIA.

RATIONE TEMPORIS ANNI.

Quibus venaeſectio, aut purgatio conducit, his vere convenit venam ſecare, aut purgationem facere. *Aph. VI.* 47.

Purgandum, aeſtate quidem, magis ſuperiores ventres; hieme vero inferiores. *Aph. IV.* 7.

RATIONE SVBIECTORVM.

Difficulter vomentes, & mediocriter carnoſi, deorſum purgandi, vitantes aeſtatem. *Aph. IV.* 7.

Melancholicos uberius deorſum purgabis. *Aph. IV.* 9.

Praegnantes purgandae, ſi materia turgeat, quadrimeſtres, & uſque ad ſeptimum menſem: hae vero minus. Iuniores autem, & ſeniores foetus, caute vitare oportet. *Aph. IV.* 1.

RATIONE MORBI, eiusque SYMPTOMATVM.

In acutis affectionibus raro, & in principiis, purgante utendum; atque hoc diligenti prius adhibita cautione faciendum. *Aph. I.* 24.

Incipientibus morbis, si quid movendum videatur, move: vigentibus vero, quiescere melius est. *Aph. II.* 29.

Purgandum in valde acutis, si turgeat materia, eadem die: morari enim in talibus, malum est. *Aph. IV.* 10.

Concocta purgare, & movere oportet, non cruda; neque in principiis, nisi turgeant. Plurima vero non turgent. *Aph. I.* 22.

Dolores infra septum transversum, qui purgatione egent, deorsum purgante opus esse, indicant. *Aph. IV.* 18.

Quibus egestiones, si stare permiseris, & non moveris, subsident veluti ramenta, his confert, alvum inferne purgari. *Aph. VII.* 67.

Sudor multus, calidus aut frigidus, semper fluens, humidi redundantiam habere significat. Educere igitur oportet, robusto quidem, superne; debili vero, inferne. *Aph. VII.* 61.

Mulieri menses decolores, neque secundum eadem (tempus & modum) semper prodeuntes, purgatione opus esse, significant. *Aph. V.* 36.

Non febricitantibus, si fiat tormen, & genuum gravitas, & lumborum dolor, deorsum purgante opus esse indicat. *Aph. IV.* 20.

CONTRAINDICANTIA.

RATIONE TEMPORIS ANNI.

Tempus aestivum. *Aph. IV.* 7.

Sub Cane, & ante Canem, difficiles sunt purgationes. *Aph. IV.* 5.

RATIONES STATVS SANI.

Qui sana habent corpora, pharmacis purgati cito exsolvuntur; ut & qui pravo utuntur cibo. *Aph. II.* 36.

Qui bene valent corpore, purgatu sunt difficiles. *Aph. II.* 37.

Elleborus periculosus est sanas carnes habentibus; convulsionem enim inducit. *Aph. IV.* 16.

RATIONE STATVS AEGRI.

Materia morbi cruda. *Aph. I.* 22.

Mor-

Morbi vigor. *Aph. II.* 29.

Quae iudicantur, & iudicata sunt perfecte. *Aph. I.* 20.

Qui nigra vomitione refundunt, cibos aversantur, desipiunt, & pubem nonnihil dolent, cum aspectu feroci, & clausis oculis, eos medicamentis purgare, tutum non est. *Praedict. I.* 71.

Neque vero subtumidos, aut tenebricosa vertigine vexatos, aut eos, qui vel leviter moti animo deficiunt, aut cibos aversantur, & decolores sunt; ut nec eos, qui in febre exsoluti, aut fracti decumbunt, si sopore tententur, purgatione adgredi, tutum est. *Ibid.*

Partes ad umbilicum, & imum ventrem, tenues & eliquatas habere, periculosum est, ad infernas purgationes. *Aph. II.* 35.

Minime purgandi sunt raucedinosi, lienosi, asthmatici, & sicca tussi laborantes, icterici, stranguria affecti, & quibus alvus cruda deiicit, & qui haemorrhagiam patiuntur. *De Victu acut.*

REGVLAE quaedam THERAPEVTICAE GENERALES.

In purgationibus talia e corpore sunt ducenda, qualia etiam sponte prodeuntia utilia sunt: contrario autem modo prodeuntia, sistenda. *Aph. IV.* 2.

Quae ducere oportet, quo maxime vergant, eo ducenda, per loca convenientia. *Aph. I.* 21.

Vbi ad animi deliquium ducere oportet, hoc etiam faciendum, si aeger sufficiat. *Aph. I.* 23.

Corpora ubi quis purgare voluerit, facile fluentia reddere oportet. *Aph. II.* 9.

Vbi biberit quis elleborum, ad motiones quidem corporum magis ducit. Ad somnos vero, & quietem, minus. Declarat autem & navigatio, quod motus turbat corpora. *Aph. IV.* 14.

Quando vis magis ducere elleborum, moveto corpus. Quando vero cessare, somnum facito, & non moveto. *Aph. IV.* 15.

Biliosis medicamenta cholagoga danda, pituitosis phle-

gmagoga, melancholicis melanagoga, hydropicis hydragoga. *De Affect.*

CRITERIA PVRGATIONIS BONAE.

Quae prodeunt, non copia sunt aestimanda, sed si prodeant, qualia oportet, & facile ferat. *Aph. I* 23.

Si, qualia purgari oportet, purgentur, confert, & facile ferunt: si vero contraria, difficulter. *Aph. I.* 25. *IV.* 3.

CRITERIA PVRGATIONIS NOXIAE.

Si non purgentur, qualia oportet, & difficulter ferant. *Aph. I.* 25. *IV.* 3.

Purgationi immodicae convulsio, aut singultus superveniens, malum. *Aph. V* 4.

Convulsio ex elleboro, lethale. *Aph. V.* 1.

A purgantis potione convulsio, lethale. *Aph VII.* 25.

Si senioribus nimium purgatis, singultus superveniat, non bonum. *Aph. VII.* 41.

In omni superflua purgatione, frigus cum sudore, exitiale. Et inter haec, qui subinde vomunt, & siticulosi sunt, male habent. Qui vero anxietate laborant, cum lumborum dolore, iis alvus humectatur. *Coac.* 568.

Ex epoto veratro, praerubrorum, & nigrorum purgationes, vitiosae. Virium exsolutio cum talibus, mala est. *Coac.* 569.

CONF. EVACVATIO, VOMITVS.

PVS. SVPPVRATIO.

AD DIAGNOSIN.

Pus optimum est, album, aequale, & leve, & quam minimum graveolens: huic autem contrarium, pessimum. *Praenot.* 41.

Circa puris generationes, dolores & febres magis accidunt, quam ipso facto. *Aph II.* 47.

AD PROGNOSIN.

Qui suppurati uruntur, aut secantur, siquidem purum es-

effluat pus, & album, evadunt. Si vero ſubcruentum, & coenoſum, ac graveolens, pereunt. *Aph. VII.* 44.

Qui ad hepar ſuppuratum uruntur, (aut ſecantur) ſiquidem purum effluat pus, & album, ſuperſtites evadunt: ipſis enim pus eſt in tunica. Si vero effluat, velut amurca, pereunt. *Aph. VII.* 45.

Si pus ad articulum accedat, eum indurari neceſſe eſt. *Praedict. II.*

Quibus ſpecillum a pure, velut ab igne, coloratur, ii fere moriuntur. *Coac.* 410.

CONF. ABSCESSVS, EMPYEMA, PERIPNEVMONIA, PLEVRITIS, VOMICA.

PVSTVLAE.

AD DIAGNOSIN.

Puſtulae ulceroſae vere naſcuntur. *Aph. III.* 20.

AD PROGNOSIN.

Puſtularum eruptiones, velut ſumma cute leviter lacerata, aut vellicata, totius habitus tabem, & corruptionem denunciant. *Coac.* 444.

Quibus ad articulos praerubrae puſtulae ſuperficiales enatae ſunt, ac ſubinde rigent, iis velut ex acceptis plagis, cum dolore venter, & inguina rubeſcunt, & pereunt. *Coac.* 489.

Quibus ſalſa ſputa cum tuſſi ſubſiſtunt, iis corpus velut efflorecentibus puſtulis rubeſcit, ante obitum vero exaſperatur. *Coac.* 243.

RAVCEDO.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Tempus vernale, & hiemale. *Aph. III.* 20. 23.

Autumnus pluvioſus, & auſtrinus, poſt aeſtatem ſiccam, & aquiloniam. *Aph. III.* 13.

AD PROGNOSIN.

Raucedines & gravedines in valde senibus, non coquuntur. *Aph. II.* 40.

Ex insania, in raucedinem cum tussi fit secessio. *Coac.* 484.

Raucitas cum tussi, & alvo liquida, pus educit. *Coac.* 414

Hepatico colliquatio, cum raucedine, malum portendit, idque praecipue, si cum quadam tussi contingat. *Coac* 447.

RECIDIVA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Febricitanti, nisi in diebus imparibus dimiserit febris, reverti solet. *Aph. IV.* 61.

Febres si alio die, quam iudicatorio desierint, recidivam metuere oportet. *Coac.* 80.

Quae in morbis post crisim relinquuntur, recidivas facere solent. *Aph II.* 12.

NOTAE ANTECEDENTES.

Morborum reversionibus tentantur, quibus citra febrem vigiliae vehementes, aut turbulenti somni adveniunt, aut corporis robur solvitur, aut singulorum membrorum dolores adsunt, & quibus febres, non accedentibus solutionis signis, neque diebus iudicatoriis quiescunt. *De Iudicat.* 56.

Quod si deficiente febre, & accedente sudore, urinam fulvam, albam subsidentiam continentem reddiderint, his eodem die febris reversionem sperato. *Ibid.* 57.

At si iudicatione facta, urina rubra subsidentiam rubram continens reddita fuerit, his quoque febris reversio eodem die contingit, ex eaque pauci servantur. *Ibid.* 58.

Vrina returbida, cum sudore, morbi reversionem significat. *Coac.* 582.

Febricitanti urina densitatem habens divulsam, morbi reversionem, aut sudorem portendit. *Coac.* 593.

AD

AD PROGNOSIN.

Quibus ſaepius recidivae contingunt, ſi ſextum menſem ſuperaverint, in tabem coxariam fere incidunt. *Coac.* 144.

Crebrae, iisdem perſeverantibus caſibus, morborum reverſiones, impendente iudicatione ſanguinem profundentes, nigram vomitionem excitant. Quin etiam tremulos aegros faciunt. *Coac.* 122. 571.

Purulentos moderatius habentes, ſi ſputa graveolentia conſequantur, recidiva interimit. *Coac.* 406.

REGIO.

AD PROGNOSIN.

Regionum mutationes epilepticis pueris liberationem faciunt. *Aph. II.* 45.

AD THERAPIAM.

In ratione victus concedendum aliquid & conſuetudini, & tempeſtati, & regioni, & aetati. *Aph. I.* 17.

Reſpicere oportet & regionem, & tempeſtatem, & aetatem, & morbos, in quibus convenit evacuatio, aut non. *Aph. I.* 2.

Regionem mutare in morbis longis, confert. *Epid. VI.*

REGIVS MORBVS, vid. ICTERVS.

REMEDIA, vid. MEDICAMENTA.

REMISSIO.

His, quae non ſecundum rationem levant, credere non oportet; neque timere valde, quae praeter rationem fiunt prava. Multa enim horum ſunt inconſtantia, nec admodum permanere, neque durare ſolent. *Aph. II.* 27.

Quae cum malignis ſignis allevamentum adferunt, & quae cum bonis non remittunt, moleſta ſunt & difficilia. *Coac.* 48.

RENVM AFFECTIO, vid. NEPHRITIS.

REPLETIO.

AD PROGNOSIN.

Repletio convulsionem facit. *Aph. VI.* 39.

AD THERAPIAM.

Facilius est repleri potu, quam cibo. *Aph. II.* 11.

Repletiones ad extremum progressae, difficiles sunt. *Aph. I.* 4.

Non satietas, non fames, neque aliud quidquam bonum est, quod naturae modum excedat. *Aph. II.* 4.

Multum & derepente replere, periculosum est. *Aph. II.* 51.

A repletione quicunque fiunt morbi, evacuatio sanat: & quicunque ab evacuatione, repletio. Et aliorum contrarietas sanat. *Aph. II.* 22.

RESOLVTIO NERVORVM, vid. PARALYSIS.

RESPIRATIO. SPIRITVS.

AD DIAGNOSIN.

Spiratio frequens & parva, aut inflammationem, aut dolorem principalium partium indicat. *Coac.* 270.

Spiratio magna, & ex longis intervallis, delirium, aut convulsionem significat. *Ibid.*

In his, qui ad septimum progressi sunt, cum coloris foedatione, inter ambulandum spiratio coacervata, & terrae appetentia, sanguinis corruptionem, ac virium exsolutionem denunciant. *Coac.* 339.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Facilis spiratio in omnibus morbis, qui cum febre acuta infestant, & in 40. diebus iudicantur, magnum habere ad salutem momentum, existimanda est. *Coac.* 260. *Praenot.* 21.

DETERIORIS NOTAE.

Respirationes luctuosae, in acutis affectionibus, quae cum febre sunt. *Aph VI.* 54.

Spiritus offendens, in febribus. *Aph. IV.* 68.

LE-

LETHALIS.

Difficultas ſpirandi, cum delirio, in febre non intermittente. *Aph. IV.* 50.

Spiritus frigidus. *Coac.* 260.

Spiritus febriculoſus, & fuliginoſus, frigido tamen minus. *Ibid.*

Spiritus magnus foras expiratus, parvus vero intro; & parvus foras, magnus vero intro. *Ibid*

Peſſimus, ad mortemque proxime accedit, & qui protenſus eſt, ac urgens, & obſcurus, duplicataque intro revocatio, qualis inſpirationem conduplicantibus. *Ibid.*

Spiritus magnus, & concitatus, cum urinis nigris, &c. in acutis. *Coac.* 49.

Reſpiratio, velut iis qui ſuffocantur, conſpicue elata, & viſui expoſita, in vocis defectione. *Coac* 252.

Quibus ſpiritus retrahitur, & vox ſtrangulabunda eſt, iis cervicis vertebra intro deſidet, & ad exitum, velut ex convulſione quadam, reſpiratio ducitur. *Coac.* 266.

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

ABORTVS.

Spirationes ſuſpirioſae, quae foras educuntur, ac citra rationem facta colliquatio, in uterum gerentibus. *Coac.* 519.

Quae ſuſpirioſae ſpirationes foras educuntur in febribus. *Coac.* 540.

DELIRII.

Num reſpiratio ſuffocativa, in vocis defectione? *Coac.* 252.

HVDROPIS SICCI.

Spirationes, quae nonniſi erecta cervice ducuntur, hydropem ſiccum faciunt. *Coac.* 424.

PAROTIDVM.

In bile redundantibus, magna ſpiratio cum febre acuta, & praecordiorum contenſione. *Coac.* 126. 290.

TABIS.

Vbi horror in malis ſubinde incidit, cum difficultate ſpirandi. *Coac.* 17.

In

Intestinorum levitates, cum spirandi difficultate, & pectoris morsu. *Coac.* 469.

RESPONSIO.

Ab homine moderato, ferox & audax responsum, malum portendit. *Praedict. I.* 44.

RIGOR.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Frigidum. *Aph. V.* 17. 20.
Sanguinis eruptio. *Praedict. I.* 151.
Epotum veratrum *Coac.* 570.
Quae praegnantes ante partus laborarunt, subinde rigore corripi solent. *Coac.* 545.

NOTAE ANTECEDENTES.

Horroris & lassitudinis sensus, capitis gravitas, cum cervicis dolore, muliebres purgationes deiiciunt; Quod si quid huiusmodi circa iudicationem, cum tussicula contingat, subinde rigorem adfert. *Coac.* 548.
Vrinae tenues, nubeculam quandam in medio assumentes, rigorem denunciant. *Coac.* 532.

NOTAE COMITANTES.

Quibus rigor adest, iis urina restitat. *Coac.* 29.
Rigores incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput. Viris autem postica magis parte, quam antica corporis, velut ex cubitis, & femoribus. *Aph. V.* 69.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

A febre ardente detento, rigore superveniente, solutio fit. *Aph. IV.* 58. *Coac.* 135.
Quibus in febribus quotidie rigores sunt, quotidie febres solvuntur. *Aph. IV.* 63.

In

In febre cum sudore, &c. subinde obortus rigor, damnari non debet. *Coac.* 253.

Quae ex rigore fiunt vocis defectiones, tremore solvuntur; atque eos, qui subinde novo rigore corripiuntur, succedentes tremores iudicant. *Coac.* 27.

Liberalium ab initio sanguinis eruptionum cursum, rigor sistit. *Praedict. I.* 150.

DETERIORIS NOTAE.

Continentes in praecipitibus malis rigores, malo sunt. *Coac.* 21.

Qui rigores ex dorso proficiscuntur, graviores sunt, & molestiores. Vbi vero quis 17. die rigore correptus, 24. die insuper riguerit, difficulter habet. *Coac.* 11.

Quibus per febres 6. die rigores fiunt, difficulter iudicantur. *Aph. IV.* 29. *Coac.* 15.

Rigores ubi sanguinis eruptioni succedunt, diuturni fiunt. *Praedict. I.* 151.

Quibus 5. die liberales sanguinis profusiones contingunt, & 6. die novo oborto rigore corripiuntur, 7. perfrigerationibus tentati, celeriter recalescunt, iis alvi male afficiuntur. *Coac.* 329.

Subabsurdus est, qui cum iudicatione rigor fit. *Coac.* 321.

In rigore familiares non agnoscere, malum. Malum quoque, eorum, quae gesta sunt, oblivisci. *Coac.* 6.

Rigores, velut in iis febribus, quae propius ad tertianarum naturam accedunt, si in medio ingravescunt, febre nullum ordinem servante, maligni valde sunt. *Coac.* 26.

Rigores cum sopore, nonnihil periculi denunciant. *Coac.* 7.

A multo potu rigor, & delirium, malum. *Aph. VII.* 7.

Rigores multi, cum torpore, malignum quiddam denunciant. *Coac.* 14.

Quibus ex posteriore parte ossibus fractis, capitis dolor inest, vehemens & crassa e naribus fluxio, malo est. Ii, dolore antea ad oculum suborto, rigore corripiuntur. *Coac.* 188.

Ante partus ſubinde rigore corripi, & citra dolorem parere, periculum indicat. *Coac.* 538.

Puerperis, ſi purgamenta ſubſiſtant, rigor inimicus eſt, *Coac.* 516.

Rigor in phrenitide, poſt albicantem deiectionem, ac torporem, peſſimus. *Coac.* 91.

LETHALIS.

Si rigor incidat febri non intermittenti, debili iam exiſtenti aegro, lethale. *Aph. IV.* 46. *Coac.* 9.

Quae in convulſione vexatis, cum rigore, & febre ingraveſcunt, perniciem denunciant. *Coac.* 26.

Qui ex rigore perfrigent, cum capitis ac cervicis dolore, vocis defectione, ac tenui ſudore, ubi vires reſumpſerint, ac ſeſe velut recollegerint, moriuntur. *Coac.* 1.

Qui crebro tenuiter exſudant, ac ſubinde rigent, ii pernicioſe habent, & tandem ſub mortem ſuppurati, & alvum conturbatam habere deprehenduntur. *Coac.* 10.

Rigor cum poſteriorum partium diſtentione, mortem adfert. *Coac.* 23.

Virium exſolutiones ex rigore, cum capitis dolore, perniciem denunciant. Cruentae in his urinae, malo ſunt. *Coac.* 22. 28.

Ex rigore vox intercepta, perniciem denunciat. *Coac.* 39.

Febribus & laſſitudinis ſenſu detento, cum oculorum perverſione, rigor perniciem minatur. Atque in huiusmodi caſibus ſoporati, malum denunciant. *Praedict. I.* 89. *Coac.* 221.

Vocis defectiones rigore ſubinde correptis, lethales, fereque ii capitis dolore conflictari ſolent. *Coac.* 255.

Ex his, qui cum pernicie conſumpti ſunt, nonnulli ante mortem ſubinde rigoribus corripiuntur. *Coac.* 443.

CONVVLSIONEM PORTENDENS.

Qui ſubinde rigore prehenduntur, & ſub noctem aliquanto

quanto gravius habent, pervigiles, in somnis nugantes ac delirantes, interdum se lotio perfundentes, ii in convulsionem tendunt. *Coac.* 20. *Praedict.* *I.* 101.

Vrinae, quae cum rigore restitarunt, malum & convulsionem praenunciant, tum vero praecipue, si antea alto sopore aeger detentus fuerit. In his autem abscessus ad aures sperare oportet. *Coac.* 25.

AD THERAPIAM.

Calidum rigores mitigat. *Aph.* *V.* 22.

CONF. FEBRIS, FRIGVS, HORROR.

RVBOR.

AD DIAGNOSIN.

Narium rubores, alvi liquidae, & diffluentis sunt indicia. *Coac.* 215.

AD PROGNOSIN.

Quibus praegnantibus, tabi opportunis, faciei rubor exoritur, hunc stillationes e naribus avertunt. *Coac.* 524.

In febribus, ex praegresso dolore rubores ad aures subnascentes, ignis sacri in facie spem faciunt. Quin & convulsiones, cum vocis privatione, & virium exsolutione, ad haec consequi par est. *Coac.* 200.

Alvus perturbata, cum frequenti desidendi labore, maxillas intendit, rubores etiam faciei solvit. *Coac.* 616.

RVCTVS.

AD DIAGNOSIN.

Acidum ructantes non admodum pleuritici fiunt. *Aph.* *VI.* 33.

AD PROGNOSIN.

In diuturnis intestinorum levitatibus, ructus acidus superveniens, qui prius non fuit, signum bonum. *Aph.* *VI.* 1.

Qui-

Quibus ructus adſunt, flatus, ventris ſonitus, cum inflatione, iis alvus exturbatur. *Coac.* 142.

SALIVA.

Quos ſtomachi faſtidia vexant, cum oris ventriculi morſu, & crebra ſputatione, iis vomitio adfutura eſt. *Coac.* 142.

Qui vomituri ſunt, iis antea os crebra ſalivatione impletur. *Coac.* 565.

Pallidis, gracilibus, & crebra oris ſalivatione laborantibus, in ſomnis ſudores, boni ſunt. *Coac.* 271.

SANGVIS.

Si in ventrem ſanguis effuſus fuerit praeter naturam, neceſſe eſt ſuppurari. *Aph. VI.* 20.

CONF ALVI DEIECTIO SANGVINEA, HAEMORRHAGIA, HAEMOPTYSIS, MICTVS CRVENTVS, VOMITVS CRVENTVS.

SATIETAS.

Non ſatietas, non fames, neque aliud quidquam bonum eſt, quod naturae modum excedat. *Aphor. II.* 4.

SATYRIASMVS.

Aetas puerorum ipſi obnoxia. *Aph. III.* 26.

SECESSVS, vid. ALVI DEIECTIO.

SECVNDINAE.

Vt ſecundae excidant, ſternutatorio indito, nares & os apprehendere oportet. *Aph. V.* 49.

SEDES.

AD DIAGNOSIN.

Sedes autem procidit, viris quidem, quibus ora venarum ſanguinem fundunt, (haemorrhoidas vocant) & alvi fluxus corripit; pueris quoque calculoſis; & in

diu-

diuturnis ac ſinceris inteſtinorum difficultatibus; ſenibus vero, quibus mucoſae quaedam concretiones affixae ſunt. *Praedict. II.* 129.

AD PROGNOSIN.

Quae circa ſedem cum dolore ſuppurant, alvum conturbant. *Coac.* 630

In longis periculis, ſedis dolor mortem adfert. *Coac* 71.

Dolor capitis, cum ſedis ac pudendorum dolore, torporem ac impotentiam adfert, vocemque exſolvit, neque iſta moleſtiam exhibent. Verum ex his ſomnolenti, ac ſingultuoſi nono menſe evadunt, & voce libera reddita in integrum reſtituuntur. *Coac.* 164.

AD THERAPIAM.

Sedi calidum amicum, frigidum vero inimicum. *Aph. V.* 22.

SEMEN.

Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, imperfectius ſani ſunt; quibus vero contraria, perfectius. *Aph VI.* 2.

SENES, vid. AETAS.

SEPTVM TRANSVERSVM, vid. DIAPHRAGMA.

SICCITAS, vid. ANNI TEMPESTAS.

SIDERATIO, vid. APOPLEXIA.

SIGNA IN GENERE.

SALVTIS.

Qui pauciſſimo tempore ſani futuri ſunt, iis in totum maxima ſigna contingunt; ii enim citra dolorem, & periculum perſeverant, noctu dormiunt, ceteraque ſecuritatis ſigna praeſeferunt. *De Iudicat.* 8.

Qui ex morbo ſuperfuturi ſunt, facile ſpirant, dolore vacant, noctu dormiunt, aliaque ſecuritatis ſigna habent. *Praenot.* 126.

Aegrum facile converti oportet, & dum ſurgit, levem eſſe. *Coac.* 493.

Optimum vero, totum corpus aeque calidum, & molle esse. *Coac.* 492.

PERICVLI.

Gravitas, quae totum corpus, vel manus ac pedes premit, vitiosa est. *Coac.* 493.

Caput, pedes, & manus frigidas esse, ventre & lateribus, calentibus, mali morbi signum est. *Coac.* 492.

Qui temere, ac praeter rationem, nulla existente vasorum inanitione, impotentes fiunt, ii male habent. *Coac.* 54.

MORTIS.

His, qui brevi perituri sunt, maxima signa per initia contingunt. Nam & difficilem habent spirationem, neque noctu dormiunt, & periculi plena signa ostentant. *De Iudicat.* 52.

Perituri difficultate spirandi vexantur, delirant, vigilant, ceteraque pessima signa habent. *Praenot.* 127.

Quae perniciem minantur, ea si absque ulla significatione alleviant, mortis periculum denunciant. *Praedict. I.* 52.

SINGVLTVS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Repletio, aut evacuatio. *Aph. VI.* 39.

Hepati inflammato singultus supervenit. *Aph. V.* 58.

NOTAE ANTECEDENTES.

Variae. *Coac.* 164.

Num concitatus & magnus spiritus, aut geniturae similis excretio prodiens, in sopore conflictatis? &c. *Coac.* 156.

Venae temporum pulsantes in febribus, & facies bene habita, absque praecordiorum mollitie. *Coac.* 128.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALVTARES.

A singultu detento sternutationes supervenientes, solvunt singultum. *Aph. VI.* 13.

NO-

NOTAE PERICVLI.

Ab hepatis inflammatione singultus, malum. *Aph. VII.* 17.

A sanguine multo effuso. *Aph. V.* 3.

A purgatione immodica. *Aph. V.* 4. *VII.* 41.

A vomitu. *Aph. VII.* 3.

A morbo regio. *Coac.* 490.

Singultus cum lassitudine, & alto stupore. *Coac.* 45.

Vocis defectiones, cum singultu, pessimae. *Praedict. I.* 23.

NOTAE LETHALES.

Desipientia cum difficultate spirandi, & singultu, mortem adfert. *Coac.* 89.

Singultus, & uterorum procidentia, post molestias ex albis mordacibus, post partum. *Coac.* 526.

SITIS.

AD DIAGNOSIN.

Quibus diu tusses siccae, paulum irritantes, in febribus ardentibus, non admodum siticulosi sunt. *Aph. IV.* 54.

Qui in purgantium potionibus non sitiunt, dum purgantur, non cessant, priusquam sitiverint. *Aph. IV.* 19.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Quibus bibendi appetentiae noctu, iis valde sitientibus, si obdormierint, bonum. *Aph. V.* 27.

Siti vacare, in morbis pulmonum. *Coac.* 393.

DETERIORIS NOTAE.

In praecipitibus malis, si sitis temere, ac praeter rationem cesset, malo est. *Praedict. I.* 57.

Vehementem sitim esse, in morbis pulmonum. *Praenot.* 102.

LETHALIS.

Sitis, cum externis frigidis, internis vero urentibus, in febribus non intermittentibus. *Aph. IV.* 48. *VII* 72.

AD THERAPIAM.

Lac dare siticulosis, malum. *Aph. V.* 64.

Quoscunque sitis corripuerit, his & cibi, & labores detrahendi sunt, & vinum bibant aquosum, & quam frigidissimum. *De Sal. Diaet. XIII. 1.*

SOMNIA, vid. INSOMNIA.

SOMNVS.

AD DIAGNOSIN.

Somni hieme longissimi. *Aph. V. 15.*

Qui (in dentitione) saepe cruenta, ac cruda per alvum egerunt, plurimi in febre somniculosi sunt. *De Dentit. II. 12.*

Sugentes, qui multum lactis adsumunt, utplurimum somniculosi sunt. *De Dentit. III. 13.*

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Somnus iuvans. *Aph. II. 1.*

Vbi somnus delirium sedat, bonum. *Aph. II. 2.*

Ex capitis dolore, interdum somnus liberat *Coac. 172.*

Noctu dormiendum, interdiu vigilandum, contra vero, malum. *Coac. 497. Praenot. 53 54.*

Minimum offendit, si quis matutino tempore ad tertiam diei partem dormiat. *Coac. 497. Praenot. 54.*

Quibus vehemens mentis emotio, ex metu, cum perfrigeratione contingit, febres cum sudoribus, & somni sermonem omnino intercipientes, haec solvunt. *Coac. 483.*

Profundi somni, neque turbulenti, iudicii firmitatem denunciant. *Coac. 151.*

Somnus confert in convulsione. *Coac. 358.*

DETERIORIS NOTAE.

Somnus, vigilia, utraque modum excedentia, malum. *Aph. II. 3. VII. 71.*

Qui post tertiam diei partem somnus accedit, malus. *Coac. 497. Praenot. 55.*

Pessimum est, si somnus neque noctu, neque interdiu,

accedit. Id enim ob dolorem, laboremque accidit, vel delirium fore significatur. *Coac.* 497 *Praenot* 56.

Somni turbulenti, non sine corporis offensione, instabiles sunt, & infirmi. *Coac.* 151.

In praecipiti malo, somnus turbulentus, (una cum aliis signis) nihil boni denunciat. *Coac.* 227.

LETHALIS.

Quo in morbo somnus laborem facit, lethale: si vero somnus iuvet, non est lethale. *Aph* *II.* 1.

Et tenebricosa vertigine laborans, & lucem aversans, & somno ac ardore multo detentus, desperatus. *Aph.* *VIII.* 15.

CONVVLSIONEM PRAESAGIENS.

In praecipitibus malis, corporis motio, iactatio, ac turbulentus somnus, nonnullis convulsionem portendit. *Coac.* 82.

Turbulentae, & valde confidentes e somno exsurrectiones, convulsiones minantur, praesertim vero, si cum sudore contingant. *Praedict.* *I.* 112.

Somnus multus (una cum aliis signis) convulsionem minatur, & frontis gravitates, ac mictio molesta est. *Coac.* 348.

SOPOR.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Sopore, lassitudine, ac surditate tentatos, alvus erumpens, & ad iudicationem rubra demittens, iuvat. *Coac.* 182.

Alvus perturbata, salsuginosa demittens, una cum febre, non admodum sopore & torpore oppressos, consequitur. *Coac.* 641.

DETERIORIS NOTAE.

Sopor profundus & altus, omnino damnandus est. *Coac.* 178. *Praedict.* *I.* 63.

Ex praecordiorum dolore obortae febres, malignae sunt. In his profundus ac altus sopor, pessimus. *Coac* 31.

In sopore affectis aegris, spumantibus prodeuntibus deiectionibus, febris acuta ingravescit. *Praedict. I.* 93.

Rigores cum sopore, nonnihil periculi denunciant. *Coac.* 7.

Delassati aegri, caligine obducti, pervigiles, & sopore detenti, cum tenui sudore recalescentes, male habent. *Coac.* 35.

Quibus sopore conflictatis, fatuitate & alto stupore (quem *catochon* vocant) detentis, praecordia variant, ac venter in tumorem praeter naturam sublatus est, cum ciborum fastidio, ac alvi interceptione, tenui circa caput & thoracem oborto sudore. *Coac.* 186.

LETHALIS.

Somni, quales sopore oppressis, & totius corporis perfrigerationes, perniciem ostentant. *Coac.* 181.

Qui inter initia sopore detenti, capitis, lumborum, cervicis, praecordiorum dolore, ac insomnia conflictantur, considerandi, num phrenitici evadant. In his narium stillatio perniciem ostentat, tum vero vel maxime, si 4. die, aut inter initia contingat. Alvi quoque praerubra proluvies, malo est. *Coac.* 179.

Qui sopore oppressi circa initia, tenuiter exsudantes, concoctas urinas emittunt, cum magna corporis aestuatione, citra iudicationem vero perfrigescunt, & rursum ex brevibus intervallis peruruntur, torpore, sopore, aut convulsione tenaci, perniciose affecti sunt. *Coac.* 180.

SOPOR ALIVM MORBVM PORTENDENS.

CONVVLSIONEM.

Desipientiae cum sopore, convulsiones minantur. *Coac.* 84.

Capitis dolor, cum sopore, & gravitatis sensu, quodammodo convulsionem accersit. *Coac.* 174.

Vrinae, quae cum rigore restitarunt, malum, & convulsionem praenunciant, tum vero praecipue, si antea alto so-

ſopore aeger detentus fuerit. In his autem abſceſſus ad aures ſperare oportet. *Coac.* 25. *Praedict.* I. 155.

Qui ſopore, corporis inquietudine, praecordiorum dolore affliguntur, cum frequenti & pauca ſputatione, iis tubercula ad aures exoriuntur; ac fortaſſis ſopore tentati, ad aliquam convulſionem deveniunt. *Coac.* 185.

PAROTIDES.

Qui ſopore detinentur, cum corporis incontinenti iactatione, praecordiorum dolore, & vomitione, in iis tuberculorum ad aures exortum ſperare oportet. *Praedict.* I. 165. *Coac.* 183.

Sopor, cum ſurditate, capitis dolore, & aſcaridibus. *Coac.* 165.

Iis, qui ſopore detinentur, tumores ad aures ſperare oportet. *Coac.* 209.

TABEM.

Crebrae, & quae cum ſopore quodam conſiſtunt vocis defectiones, tabem denunciant. *Coac.* 259.

VOMITVM NIGRVM.

In his, qui varie morbum trahunt, & mente moventur, ſi ſubinde ſopor incidat, praenuncia expectandam eſſe nigram vomitionem. *Coac.* 103.

SPASMVS, vid. CONVVLSIO.

SPINALIS MEDVLLA, vid. MEDVLLA.

SPIRITVS, vid. RESPIRATIO.

SPIRANDI DIFFICVLTAS, vid. ASTHMA.

SPLEN, vid. LIEN.

SPVMA ORIS.

Ex iis, qui ſtrangulantur, & reſolvuntur, nondum autem ſunt mortui, non ſe recolligunt, quibus ſpuma circa os fuerit. *Aph.* II. 43.

SPVTATIO.

AD PROGNOSIN.

Tuſſiculae, quae cum crebris oris ſputationibus procedunt, tubercula ad aures emolliunt. *Coac.* 204.

Sputatio crebra, vomitionis instantis signum. *Coac.* 566. 142.

Crebra sputatio, cum vehementi insania, & tremore, phrenitidem portendit. *Coac.* 94.

Crebrae in phreniticis, cum perfrigeratione, sputationes, nigrorum vomitionem praenunciant. *Coac.* 102.

CONF. SALIVA, SOPOR, PHRENITIS.

SPVTVM.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Cum convulsionibus, & sudore febrienti, defluentia sputa minime mala sunt. *Coac.* 350.

Ex capitis dolore liberat pus e naribus effluens, aut sputa crassa, & inodora. *Coac.* 172.

In omnibus laterum, & pulmonum morbis, sputum prompte, ac cito excreari necesse est, flavumque sputo permixtum esse. *Coac.* 390. *Praenot.* 86. *Aph.* *I.* 12.

Sputum flavum, cui paulum sanguinis admixtum est, initio salutem pollicetur. *Coac.* 390. *Praenot.* 95.

Sputa mucosa & fuliginosa, tum celeriter colorantur, tum securiora sunt. Quae vero intra 5. diem, dum coctionem accipiunt, colorantur, meliora sunt. *Ibid.*

Omnium, quae excreantur, optima, quae dolorem sedant. *Praenot.* 98. *Coac.* 391.

DETERIORIS NOTAE.

In pulmonis & laterum doloribus, si multo post doloris initium, quod flavum est, aut fulvum, aut multam tussim exhibeat, neque valde permixtum expuatur, deterius est. *Praenot.* 87. *Coac.* 390.

Sputum flavum, cui paulum sanguinis admixtum est, quod 7. die, aut longiore spatio tale apparet, non adeo tutum. *Coac.* 390. *Praenot.* 96.

Omnino pravum est sputum flavum, si sincerum est, & glutinosum, & candidum, & rotundum, itemque vehementer ex virore pallescens, quodque spumosum est,

est, & lividum, & aeruginosum. Aliquanto vero deterius, quod sic est sincerum, ut nigrum quoque videatur. *Coac.* 390. *Praenot.* 88. 89. 90. 91.

Pravitatem etiam indicant & spumantia, & flava, & nigra, & aeruginosa, viscosaque, & quaecunque celeriter colorantur. *Coac.* 390.

Omnia sputa mala sunt, quae dolorem non sedant. *Praenot.* 97. *Coac.* 391.

Sputa viscida, salsuginosa, cum raucitate, malo sunt. *Coac.* 413.

In angina laborantibus, subarida sputa, gracilescentibus faucibus, malum praenunciant. *Coac.* 369.

Sputa ex angina viscida, crassa, exalbida, vi educta, malum denunciant, omnisque eiusmodi maturatio mala est. *Coac.* 377.

Exscreationes in febribus non intermittentibus, lividae & cruentae, & graveolentes, & biliosae, omnes malae sunt. At probe secedentes bonae. Et eadem ratio est quoad alvi egestiones, & quoad urinas. Si vero nihil ex conducentibus excernatur per haec loca, malum. *Aph. IV.* 47. *VII.* 69. *Coac.* 242.

Quibus salsa sputa cum tussi subsistunt, iis corpus velut efflorescentibus pustulis rubescit, ante obitum vero exasperatur. *Coac.* 243.

LETHALE.

In morbis laterum, & pulmonum, sputum admodum sanguinolentum, aut quod statim initio livescit, perniciem praesefert. *Coac.* 390.

Perniciem denunciant sputa nigra, fuliginosa, aut quibus qualia ex vino nigro fiunt. *Coac.* 407.

In morbo laterali, quibus circa initia in totum purulentae sunt spuitiones, ii 3. aut 5. die moriuntur. Quos si superent, nec longe melius habuerint, 7. aut 9. aut 11. die suppurati fiunt. *Coac.* 379.

Quibus cum bilioso purulentum sputum, aut seorsum, aut simul permixtum educitur, ii utplurimum 14. die intereunt, nisi malum, aut bonum aliquod, ex

his

his quae prius descripta sunt, contingat. Alioqui certe pro ratione mors exspectanda est, atque in his praecipue, quibus 7. die sputum huiusmodi procedere coepit. *Coac.* 392.

Hepaticis sputum multum cruentum, sive intus subputridum, sive sincere biliosum fuerit, statim perniciem denotat. *Coac.* 446.

Sputa ex angina subarida, crebra, per tussim, & cum lateris dolore educta, perniciem minantur. *Coac.* 378.

Sputum prunis superfusum graviter olens in tabidis, *Aph. V.* 11. *Coac.* 434.

Sputum retentum in tabidis. *Aph. VII.* 16. 78.

Pus fundum petens, tabidis in aquam marinam expuentibus. *Coac.* 435.

CONF. EMPYEMA, PERIPNEVMONIA, PLEVRITIS, PVS, VOMICA.

SPVTVM SANGVINIS, vid. HAEMOPTYSIS.

STERILITAS.

A corporis raritate, vel densitate, frigiditate vel caliditate, in maribus. *Aph. V.* 63.

Ab utero frigido ac denso, vel praehumido, vel sicco magis & adurente, in feminis. *Aph. V.* 62.

CONF. CONCEPTIO.

STERNVTATIO.

AD DIAGNOSIN.

Sternutatio fit ex capite, percalefacto cerebro, aut perhumectato, quod est in capite, vacuo. Aer enim qui intus est, supra modum, (i. e. vi) effunditur. Strepit autem, quia per angustum ipsi est transitus. *Aph. VII.* 51.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

A singultu detento sternutationes supervenientes, solvunt singultum. *Aph. VI.* 13.

Mu-

Mulieri ab uterina passione vexatae, aut difficulter parienti, sternutatio superveniens, bonum. *Aphor.* V. 35.

In aliis maxime lethalibus morbis, (praeterquam pulmonum) sternutamenta utilitate non carent. *Praenot.* 94. *Coac.* 399.

Febricitare incipientibus, sanguinis stillationes cum sternutatione accedentes, & quod in urina desidet album, 4 die visum, 7. solutionem adfore denunciant *Coac.* 149.

DETERIORIS NOTAE.

In morbis pulmonis, gravedines & sternutamenta, tum praecedere, tum vero succedere, malo est. *Coac.* 399. *Praenot.* 93.

STRANGVLATIO.

AD PROGNOSIN.

Ad lateris dolorem insuper accedente strangulatu, suppurationis futurae spes est. *Coac.* 113.

Ex iis, qui strangulantur, & resolvuntur, nondum autem sunt mortui, non se recolligunt, quibus spuma circa os fuerit. *Aph* II. 43.

Si a febre detento, tumore in faucibus non existente, suffocatio ex improviso superveniat, lethale. *Aph.* IV. 34. *Coac.* 277.

In praecipitibus malis strangulatus, gracilescentibus faucibus, perniciem minatur. *Coac.* 61.

STRANGVRIA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas senilis. *Aph.* III. 31.
Aetas puerilis. *Aph.* III. 26.
Tempus autumnale. *Aph.* III. 22.
Siccitates. *Aph.* III. 16.
Inflammatio intestini recti, & uteri, & renum suppuratio. *Aph.* V. 58.

PARTES circa VESICAM laborare indicat.

Stranguria, cum mictu cruento, & dolore ad hypogastrium, & perinaeum. *Aph. IV.* 80.

AD PROGNOSIN.

Quibus ex urinae ſtillicidio volvulus ſupervenit, in 7. diebus pereunt, niſi febre ſuperveniente urina abunde fluxerit. *Aph. VI.* 44.

Hic morbus ſenioribus diuturnior, iunioribus autem brevior fit: neutris vero lethalis. *De Affect. XXIX.* 10.

AD THERAPIAM.

Vrinae ſtillicidium, & urinae difficultatem, vini potus, & venaeſectio ſolvit. Secandae vero internae (venae.) *Aph. VII.* 48.

Conducit forinſecus quidem corpus balneis calidis mollire, intrinſecus vero humectare: alvum quidem per cibos, a quibus fluida fiat: veſicam vero per potus, a quibus urina quamplurimum diffunditur. *De Affect. XXIX.* 2. *ad* 6.

STRIDOR, vid. DENTES.

STRVMA.

Aetas puerilis ipſi obnoxia. *Aph. III.* 26.

Ab aetate annorum 42. ad annum 63. ſtrumae non fiunt. *Coac.* 512.

STVPOR.

AD PROGNOSIN.

A plaga in caput, ſtupor, aut delirium, malum. *Aph. VII.* 14.

Torpores & ſtupores praeter conſuetudinem evenientes, adfuturam ſiderationem denunciant. *Coac.* 476.

Manuum ſtupor, cum capitis doloribus, & aliis ſignis, ſiderationem, aut morbum comitialem, aut etiam oblivionem denunciat. *Coac.* 161.

SVDAMINA.

Aeſtate naſcuntur. *Aph. III.* 21.

SVDOR.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Sudor multus a ſomno, citra cauſam manifeſtam factus, corpus uberiori alimento uti ſignificat. *Aph. IV.* 41.

Cum aeſtas ſit veri ſimilis, ſudores in febribus multos exſpectare oportet. *Aph. III.* 6.

Bene colorata facies, cum ſudoribus diffluentibus absque febre, vetuſta ſtercora ſubeſſe, aut inordinatam victus rationem, praeſefert. *Coac.* 214.

Quibus ex larga, & frequenti ſanguinis eruptione, copioſa fit nigrorum deiectio, cum alvi vero ſuppreſſione ſanguinem profundunt, iis alvus dolore conflictatur; una autem cum quibusdam flatibus tolerabilius ferunt. Ac forte hi copioſis, frigidis, & tenuibus ſudoribus diffluunt. *Coac.* 333.

Confractae voces poſt medicamenti purgantis potionem, conſiderandae num pravae ſint. Horum plerisque tenues ſudores diffluunt, & alvi humectantur. *Coac.* 251.

A puris intro collectione, cum febris remiſſione, utplurimum tenues ſudores diffluentes. *Coac.* 419.

Ex lateris morbo, aut pulmonis inflammatione purulentos, circa cervicem & claviculam ſudores occupant. *Coac.* 402.

NOTAE ANTECEDENTES.

Quos ex lateris dolore cibi faſtidia comitantur, iis os ventriculi aliquantulum dolet, & ſudoribus diffluunt. *Coac.* 423.

Vrina, quae admodum tenuis ſpiſſa evadit, fortaſſe erupturum ſudorem indicat: iam autem erupiſſe, quae ſpumam in ſe ipſam inſidentem habet. *Coac.* 583.

NOTAE VARIAE.

Qua corporis parte ineſt ſudor, ibi morbum eſſe indicat. *Aph. IV.* 38.

Sudor multus intemperate oboriens ſano, morbum ſignificat, aeſtate minorem, hieme maiorem. *De Iudicat.* 47.

AD

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Sudores cum apparent, vel iudicatu faciles, vel difficiles, vel breves, vel longos morbos fore, indicant. *Aph. I.* 12.

Sudor multus, frigidus aut calidus, semper fluens, frigidus quidem maiorem, calidus vero minorem morbum significat. *Aph. IV.* 42.

Qui aestum sentiunt, & praegressis deiectionibus, tenuibus sudoribus diffluunt, iis febris ingravescit. *Coac.* 646.

SVDOR SALVTARIS.

Sudores febricitantibus si inceperint, boni sunt die 3. & 5. & 7. & 9. & 11. & 14. & 17. & 21. & 27. & 31. & 34. Hi enim sudores morbos iudicant. *Aph. IV.* 36.

Sudores optimi quidem per omnes morbos acutos, qui diebus iudicatoriis contingunt, & penitus febre liberant. *Praenot.* 22.

Sudor optimus sane, qui febrem die iudicatorio tollit. Vtilis autem & qui allevat. *Coac.* 572.

Sudores boni, quicunque toto corpore oriuntur, faciuntque, ut aeger morbum facilius ferre videatur. *Praenot.* 23.

Sudores boni, qui guttatim, & cum exhalatione fiunt. *Praenot.* 27.

Sudores sensim procedentes iuvant. *Coac.* 360.

Sudores in morbis pulmonum laudabiliter fieri, bonum. *Coac.* 393.

Pallidis, gracilibus, & crebra oris salivatione laborantibus, in somnis sudores boni sunt. Nempe quidem & horum plurimos sudore levari non improbandum. Quibus si dolores ad inferiora decumbant, toleratu faciles existunt. *Coac.* 271.

DETERIORIS NOTAE.

Qui sudores non fiunt diebus criticis, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivas. *Aph. IV.* 36.

Sudor una cum febre, acuto morbo urgente, malus. *Coac.* 574. *Praedict. I.* 58.

Fe-

Febricitanti ſudor ſuperveniens, febre non remittente, malum. Prolongatur enim morbus, & copioſiorem humiditatem indicat. *Aph. IV.* 56.

Sudores frigidi cum mitiore febre evenientes, morbi longitudinem ſignificant. *Aph. IV.* 37. *Praenot.* 24.

Sudores qui non toto corpore oriuntur, & ſine euphoria. *Praenot.* 23.

Sudores, qui milii formam referunt, & circa cervicem tantum oboriuntur, pravi. *Praenot.* 26.

Malus ſudor frigidus, & ubi caput duntaxat, & cervix inſudat. Nam & temporis diuturnitatem, & periculum denunciat. *Coac.* 572. *Praenot.* 24.

In humecta alvo perfrigeratio cum ſudore, vitioſa. *Coac.* 647.

A ſudore horror, non bonum. *Aph. VII.* 4.

Qui ſubinde inhorreſcunt, ſaepe tenui ſudore corripiuntur, difficili morbo laborant. *Coac.* 13.

Qui ex ſudoribus perfrigerantur, ac celeriter recaleſcunt, male habere iudicantur. *Coac.* 52. *Praedict. I.* 66.

Ex ſudoribus pervigiles, & ad calorem revocati, male habere iudicantur. *Praedict. I.* 68.

Qui in febre non intermittente, tenuiter & crebro exſudant, cum praecordiorum diſtenſione, ii utplurimum maligne habent; atque in his dolores in humeri caput ac claviculas affixi, pravi ſunt. *Coac.* 32.

In febre tenuiter exſudantes, maligne habent. *Coac.* 42.

Qui per acceſſiones tuſſiunt, & tenuiter exſudant, ii maligne habere iudicandi ſunt. *Coac.* 112.

Sudores tenues, cum oris ventriculi dolore, ac praecordiorum pulſu, & cum febre, in qua totus corporis habitus perfrigeratur. *Coac.* 283.

Qui poſt ſanguinis ex naribus eruptionem, ex tenuibus ſudoribus perfrigeſcunt, male habent. *Coac.* 40.

Quibus adſunt ſuperiorum partium tenues ſudores, cum perfrigerationibus, nec ſine febre, ii corporis incontinentia, & phrenitide vexati, praeceps periculum denunciant. *Coac.* 69.

Cre-

Crebri ex dorſo horrores, ſubinde locum commutantes, graves ſunt, & difficiles. Laborioſam quippe urinae ſuppreſſionem minantur. His tenuiter exſudare peſſimum. *Coac.* 8. 46.

LETHALIS.

Sudores frigidi, cum acuta febre evenientes, mortem ſignificant. *Aph. IV.* 37 *Praenot.* 24. 25. *Coac* 573.

Deſipientia, cum difficultate ſpirandi, & ſudore, lethalis eſt. *Coac.* 89.

In ſideratis, ex magna ſpirandi moleſtia ſubortus ſudor, mortem adfert. In his rurſus, ſi febris accedat, ſolutio contingit. *Coac.* 479.

Ex diuturno ventris affectu, vomentibus, bilioſis, cibum averſantibus, copioſus ſudor obortus, cum repentina virium impotentia, lethalis. *Coac.* 638.

Lethale eſt, in poſteriorum partium diſtentione ſudare, & corpus diſſolvi. *Coac.* 361.

In praecipitibus malis, tenues circa caput maxime ſudores oboriri, & corporis incontinentia quadam iactari, malum indicat; tum vero praecipue pernicies intenditur, ſi iſta cum urinis nigris contigerint, & ſpiritus magnus, & concitatus adfuerit. *Coac.* 49. *Praedict. I.* 39.

Qui crebro tenuiter exſudant, ac ſubinde rigent, ii perniciose habent, & tandem ſub mortem ſuppurati, & alvum conturbatum habere deprehenduntur. *Coac.* 19.

SVDOR ALIVM MORBVM PRAESAGIENS.

ABSCESSVM GINGIVARVM, vel TVBERCVLA ad AVRES.

Moderatus capitis dolor, cum inexhauſta ſiti, aut ſudore febrem non ſolvente. *Coac.* 173.

CONVVLSIONEM.

Qui per febres tenuiter exſudant, cum capitis dolore, & alvo intercepta, ad convulſiones proni ſunt. *Coac.* 154. 177.

HAEMORRHAGIAM.

Quibus ubi inhorruerint, iudicatorii ſimul ſudores contin-

tingunt; postridie vero, si horror repererit, & temere pervigilent, absque concoctione, iis forte sanguinem erupturum sperare oportet. *Coac* 24.

VOMITIONEM NIGRAM.

Lingua praeter rationem mollis reddita, ac nauseabunda, cum sudore frigido, ab alvo liquida, nigrae vomitionis significationem adfert; in his lassitudinis sensus malum denunciat. *Coac.* 232.

AD THERAPIAM.

Sudor multus a somno, in homine cibum non capiente, evacuatione indigere significat. *Aph. IV.* 41.

SVFFITVS.

Suffitus aromatum muliebria ducit. Saepius autem etiam ad alia utilis esset, nisi capitis gravitates induceret. *Aph. V.* 28.

SVFFOCATIO, vid. STRANGVLATIO.

SVPERCILIVM.

Eius perversio, in febre non intermittente, una cum aliis signis, lethalis. *Aph. IV.* 49. *VII.* 73.

SVPERPVRGATIO, vid. HYPERCATHARSIS.
SVPPVRATIO, vid. ABSCESSVS, EMPYEMA, PVS, VOMICA.

SVRAE.

Earum dolores in febre, maligni. *Coac.* 30.
Ad suram dolores, mentis alienationem indicant. *Praedict. I.* 36.

SVRDITAS.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Quibus biliosae sunt egestiones, surditate superveniente

cessant. Et quibus surditas, biliosis supervenientibus, cessat. *Aph.* *IV.* 28

Quibus in febre aures obsurduerint, his sanguis e naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum solvit. *Aph.* *IV.* 60. *Coac.* 210.

In febribus enata surditas, alvum remoratur, & sistit. *Coac.* 191.

In praecipiti malo surditas, sanguinis egestionem solvit. *Coac.* 331.

Quibus cum surditate, & torpore, paucus e naribus sanguis stillat, nonnihil molestiae exhibet, iis vomitus, & alvi perturbatio confert. *Coac.* 334. 208.

Ex nigris vomitibus oborta surditas, noxia non est. *Coac.* 559.

DETERIORIS NOTAE.

In praecipitibus & turbulentis morbis obveniens surditas, malo est. Quin & in longis morbis malum portendit; ac in his ad coxendices labores convehit. *Coac.* 190. *Praedict.* *I.* 33.

In praecipiti malo, quae post sanguinis eruptiones, & nigrorum per alvum refusiones, surditas obvenit, malum denunciat. *Coac.* 331.

Gravi surditate tentati, dum aliquid prehendunt tremuli, linguae resolutione, ac torpore affecti, male habere iudicantur. *Coac.* 197.

In tenuioris intestini morbo laborantibus, vomitio & surditas, malo sunt. *Coac.* 470.

LETHALIS.

In praecipiti malo, post sanguinis eruptiones, nigrorum deiectiones, & surditatem enatam, sanguinis egestio perniciem adfert. *Coac.* 331.

Qui capite dolent, cum levi aliqua surditate, manuum tremore, cervicis dolore, nigricantes reddentes urinas, & densas, ii, si nigra vomitione refuderint, perniciose habere suspicandi sunt. *Coac.* 176

SVR-

SVRDITAS ALIVM MORBVM PRAESAGIENS.

ALVI DEIECTIONEM SANGVINOLENTAM, & NIGRAM.

Surditas pus intro colligentibus suborta, sanguinolentam deiectionem denunciat. His sub mortem nigra egeruntur. *Coac.* 420.

HAEMORRHAGIAM NARIVM.

Qui surditate, cum capitis gravitate, ac praecordiorum contensione vexantur, si oculorum acies perturbatur, in iis sanguinis e naribus fluxum sperare oportet. *Coac.* 195.

INSANIAM.

Vomitus virulenti, & aeruginosi, in capitis doloribus, cum surditate, & insomnia, promptam insaniam significant. *Coac.* 169.

In acuta febre, aures obtusae, vehementem insaniam portendunt. *Coac.* 196.

MENTIS EMOTIONEM.

Procedente morbo surditas, ac urina subrubra, cum nullo sedimento, sed cum sublimamentis in medio innatantibus, mentis emotionem praenunciant. *Coac.* 198.

Quibus a partu alba prodeunt, & his subsistentibus surditas cum febre, & lateris dolor acutus excitatur, eae in vehementem & perniciosam mentis emotionem incidunt. *Coac.* 525.

CONF. AVDITVS GRAVITAS, FEBRIS ACVTA.

SVSPIRIA.

Quae suspiriosae spirationes foras educuntur in febribus, abortionis periculum adferunt. *Coac.* 540.

In anhelatoribus & suspiriosis, febris postea acuta, cum praecordiorum contensione perfrigeratis, magnum circa aures tumorem exspectare oportet. *Coac.* 107.

SYNCOPE, vid. LIPOTHYMIA.

TABES, vid. PHTHISIS.

TABES COXARIA.

Quibus saepius recidivae contingunt, si sextum mensem superaverint, in tabem coxariam fere incidunt. *Coac.* 144.

TABES DORSALIS.

AD DIAGNOSIN.

Corripit maxime recentes sponsos, & veneri deditos. *De Morb. II. XLIX.* 3.

Eius notae: Febris nulla, appetitus bonus, consumptio, superne de capite in spinam velut formicae descendentes, ubi mingitur, aut venter exoneratur, semen genitale profluens multum ac liquidum, genitura in utero non manens, pollutio in somnis, per motum anhelatio ac debilitas, capitis gravitas, & aurium sonitus, temporis progressu febres lipyriae perniciosae. *De Morb. II. XLIX.* 4. *ad* 14.

AD THERAPIAM.

Ab initio fomenta per totum corpus adhibere, medicamentum sursum purgans bibendum dare, postea caput purgare, deinde deorsum purgans exhibere; postea serum, aut lac asininum bibendum dare. Ceterum bubulum lac per 40. dies bibendum praebere. Ad vesperam, quam diu lac potat, alicam sorbendam dare, a cibis autem abstinere. Finito lactis usu, cibis mollibus aegrum reficere, ex modico initium sumendo, & quam maxime crassum ac pinguem facere. Per annum ab ebrietatibus, & venere, & laboribus abstinere, exceptis deambulationibus, vitando tantum frigus, & solem; tepida autem lavare. *De Morb. II. XLIX.* 15. *ad* 30.

TEMPERAMENTVM, *vid. NATVRA*.

TEMPORA.

Tempora collapsa, cum reliquis notis faciei corruptae, lethale. *Coac.* 212. *Praenot.* 2.

Qui-

Quibus tempora secantur, iis ex adversa sectionis parte convulsio contingit. *Coac.* 498.

Ossium ad tempora effracturae, convulsiones accersere solent. *Coac.* 188.

TENESMVS.

AD DIAGNOSIN.

Vbi apprehenderit, secedit sanguis ac mucus, & dolor fit in ventre inferiore, maxime ubi ad secessum devenerit. *De Affect. XXVII.* 1. 3.

AD PROGNOSIN.

Mulieri in utero gerenti, tenesmus superveniens, abortire facit. *Aph. VII.* 27.

Fit ex iisdem, a quibus & dysenteria, verum debilior, & brevis, & non lethalis. *De Affect. XXVII.* 10. 11.

AD THERAPIAM.

Conducit ventrem humectare, & pinguefacere, ac tepefacere; & quae insunt, subducere, & calida lavare, excepto capite. Solet autem hic morbus plures cibos expetere. *De Affect. XXVII.* 4. *ad* 7.

TERROR, vid. PAVORES.

TESTICVLI.

AD PROGNOSIN.

Tusses non diuturnae, quoniam ubi testis intumuit, cessant: & testis tumor a tussi cessat, & allevatur. *Epid. II. I.* 43. 44.

Quibus tussis sicca est, his non solvitur, nisi dolor fortis ad coxas, aut ad crura, aut ad testem irruat; *Epid. II. V* 23.

Testium tumores aliquibus febrem ardentem solvunt. *De Iudicat.* 69.

Ex tussi vena secta, ad testem solutio fit. *Epid. IV. XXXI.* 10.

Testes & pudenda, ubi sursum contrahuntur, vehemen-

tes dolores, & mortis periculum denunciant. *Praenot.* 52. *Coac.* 494.
Testis dexter frigidus, & convulsus, lethale. *Aphor.* *VIII.* 11.

TETANVS, *vid.* *CONVVLSIO*.

TINNITVS, *vid.* *AVRIVM TINNITVS*.

TONSILLAE.

Aetas puerilis ipsis obnoxia, *Aph.* *III.* 26.

Qui tonsillas destillatione vexatas habent, his alvus amplius subducta, siccas tusses solvit. Verum pueris, si quid concocti superne prodierit, amplius solvit. *De Dentit.* *III.* 10. 11.

TONSILLARVM VLCERA.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Pueris memorabilis magnitudinis, si ulcera in tonsillis sint, & deglutire possint, salutis signum est. *De Dent.* *III.* 3.

In tonsillarum ulceribus, post prima tempora, pituitam per os effluere, si prius non fuit, commodum est, & tamen reducenda est. *Ibid.* 6 7.

Vlcera multo tempore in tonsillis citra augmentum manentia, ante 5. aut 6. diem periculosa non sunt. *Ibid.* 12.

DETERIORIS NOTAE.

Quibus cito in tonsillis ulcera serpentia considunt, febribus ac tussi permanentibus, periculum est, rursus generanda esse ulcera recurrentia. *De Dentit.* *III.* 1.

Vlcera tonsillarum in infantibus, periculosa, *Ibid.* 2.

Quum maiores pueri, deglutire in tonsillarum ulceribus non possunt, his multam bilem revomi, aut per alvum prodire, periculosum est. *Ibid.* 4.

In ulceribus tonsillarum, si quid araneosum inest, non bonum. *Ibid.* 5.

VI-

Vlcera in tonſillis aeſtate facta, peiora ſunt, quam aliis temporibus, citius enim proſerpunt. *De Dentit. III.* 15.

Vlcera in tonſillis circa uvam proſerpentia, in his, qui ſervantur, vocem alterant. *Ibid.* 16.

Vlcera proſerpentia circa fauces graviora, & magis acuta, utplurimum ſpirandi difficultatem inducunt. *Ibid.* 17.

TORMINA, vid. DYSENTERIA.

TORPOR.

AD DIAGNOSIN.

Dolor capitis, cum ſedis ac pudendorum dolore, torporem ac impotentiam adfert, vocemque exſolvit, neque iſta moleſtiam exhibent. Verum ex his ſomnolenti ac ſingultuoſi nono menſe evadunt, & voce libera reddita, in integrum reſtituuntur. *Coac.* 164.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Torpor medicus doloris ſolvendi vim habet. *Aph. V.* 25.

DETERIORIS NOTAE.

Albicans deiectio ac torpor, vel etiam rigor ſuccedens, in phrenitide. *Coac.* 91.

Torpor cum ſurditate, & pauco ſanguine e naribus ſtillante. *Coac.* 334.

Refrigerationes & torpores, in ſideratis, malum denunciant. *Coac.* 478.

Quae torporis ſenſu afficiuntur, praecipueque ad motiones impotentes & perfractae, circa iudicationem vexatae, anxietate laborantes, multo & tenui ſudore diffluunt; in his alvus effuſa malum denunciat. *Coac.* 521.

Rigores multi cum torpore, malignum quiddam denunciant. *Coac.* 14.

LETHALIS.

Torpor in contraria celeriter permutatus, perniciem denotat. *Coac.* 56.

Quibus in febre ardente, tumores cum somnolentia & torpore obveniunt, eos lateris dolor accedens, cum levi partis alicuius sideratione, necat. *Coac* 60.

Pessima deiectio liquida, in sopore & torpore detentis. *Coac.* 611.

In sopore oppressis, torpor cum aliis signis, perniciosus. *Coac.* 180.

TORPOR ALIVM MORBVM PRAESAGIENS.

CONVVLSIONES.

In gravibus & acutis capitis doloribus, cum torpore, & gravitatis sensu, proclives sunt convulsiones. *Coac.* 171

EXSOLVTIONEM.

Qui per febres intermittentes, ad manus contactum exardescunt, torpore, siti, ac corporis incontinenti iactatione vexantur, ii alvo intercepta gravati exsolvuntur. Interdum vero etiam praerubra in pedibus ambusta, eadem denunciant. *Coac.* 158.

NOVVM INSVLTVM IN EPILEPTICIS.

Torpor totius corporis, cum urinis praeter consuetudinem tenuibus & crudis, absque repletione. *Coac.* 599.

MENTIS ALIENATIONEM.

Vbi rigori torpor succedit, mentis alienatio significatur. *Praedict. I.* 35.

SIDERATIONEM.

Torpores & stupores praeter consuetudinem evenientes, adfuturam siderationem denunciant. *Coac.* 476.

SVPPVRATIONEM.

Quae ad manus contactum torpescunt, peraridae, sitis expertes, muliebria multa profundentes, pus intro colligunt. *Coac.* 542.

TRAN-

TRANQVILLITAS.

In morbo tranquillitas, longitudinem significat. *Praecept. XII.* 8.

TRANSPIRATIO.

Carnes attractrices, & ex ventre, & extrinsecus. Indicio est sensus ipse, quod expirabile, & inspirabile est totum corpus. *Epid. VI. VI.* 1. 2.

Qui bene transpirant, imbecilliores sunt, at salubriores, & facilius sanabiles. *De Alim. VI.* 5.

Qui male transpirant, ante morbum robustiores sunt: at morbo correpti, difficilius sanantur. *Ibid.* 6.

TREMOR.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Num dolore lumborum conflictatis tremores fiunt, & maculae rubentes, quales in tibiis, cum rigore? *Coac.* 318.

Qui lethargo, aut veterno conflictantur, ex manibus tremunt, &c. *Coac.* 139.

Crebrae, iisdem perseverantibus casibus, morborum reversiones, impendente iudicatione sanguinem profundentes, nigram vomitionem excitant. Quin etiam tremulos aegros faciunt. *Coac.* 122. 571.

Ex abortione ubi alba derepente percurrunt, si rigor aliquis corripiat, & ad femur impetus fiat, tremor molestus subit. *Coac.* 543.

AD PROGNOSIN,

MELIORIS NOTAE.

Quibus in febre ardente tremores fiunt, delirium solvit. *Aph. VI.* 26.

Quae ex rigore fiunt vocis defectiones, tremore solvuntur; atque eos, qui subinde novo rigore corripiuntur, succedentes tremores iudicant. *Coac.* 27.

DE-

DETERIORIS NOTAE.

Qui ſubinde riguerunt, poſt haec ſincera vomitione refuderunt, anxietate vexati, tremuli, in febre, malum portendunt. *Coac.* 39.

Qui cum aliis ſignis, furioſa & vehementi mentis emotione tenentur, ii, ſi tremuli evadunt, maligne habere iudicantur. *Coac.* 88.

Tremoribus quae convulſiones accedunt, cum ſudoribus, recidivas minantur. In his iudicationem facit novus obortus rigor, qui prius ardore circa ventrem oborto provocatur. *Praedict. I.* 105.

LETHALIS.

In intenſa phrenitide tremores, lethales. *Coac.* 97.

Quos vox cum febre, & absque ulla iudicatione deficit, ii tremuli intereunt. *Coac.* 247.

Qui capite dolent, cum levi aliqua ſurditate, manuum tremore, &c. perniciose habere ſuſpicandi ſunt. *Coac.* 176.

Vbi iam pernicies imminet, parvi tremores, & aeruginoſa vomitio, & in quibus inter potandum ſtrepitus quidam percipitur, quique prae ſiccitate murmur quoddam ſentiunt, & qui ob ſpiritum tuſſiculoſum aegre devorant, in gravibus malis perfrigeratis, pernicioſe habere iudicandi ſunt. *Coac.* 62.

TREMOR ALIVM MORBVM PORTENDENS.

ABSCESSVS ad ARTICVLOS.

Quos febris detinet, ſi tremor abſque iudicatione conquieſcit, iis temporis ſucceſſu abſceſſus cum dolore purulenti ad articulos decumbunt, & veſica dolet. *Coac.* 141.

ALVI DEIECTIONES NIGRAS.

Tremulae affectiones, cum morſu, ac capitis dolore, nigras deiectiones praedicunt. *Coac.* 636.

CALCVLORVM EXPVLSIONEM.

Tremores ſenioribus in febre contingentes, ubi apparent, calculi fortaſſe per urinas excluduntur. *Coac.* 590.

CONVVLSIONEM.

In tremulis, & anxietate vexatis, parvi ad aures tumores excitati, convulsionem denunciant, si alvus male affecta sit. *Coac.* 353.

PHRENITIDEM.

Vehementi insania detenti, tremuli, cum crebra sputatione, metus est, ne phrenitici evadant. *Coac.* 94.

TVBERCVLA.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas puerilis. *Aph. III.* 26.

Tempus vernale. *Aph. III.* 20.

Quibus tubercula ad articulos, aut dolores, ex febribus longis fiunt, hi pluribus utuntur cibis. *Aph. IV.* 45. *VII.* 64.

Quibus febres longae, his tubercula ad articulos, aut dolores fiunt. *Aph. IV.* 44. *VII.* 63.

Mensibus retentis, sunt quibus circa inguen velut tuberculum fit, illicque suppuratum exit. *De Nat. puer. VII.* 17.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Tubercula extra extuberantia, & acuta, & fastigiata, & aequaliter maturescentia, & non obdura, & deorsum vergentia, & non bifida, meliora. *Epid. VI. I.* 29.

Quibus in urinaria fistula tuberculum nascitur, his, suppurato eo, & perrupto, solutio fit. *Aph. IV.* 82. *VII.* 57. *Coac.* 473.

DETERIORIS NOTAE.

A tumoris intus ruptione, exsolutio, vomitus, & animi deliquium fit. *Aph. VII.* 8.

AD THERAPIAM.

Vbi fauces aegrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur, excretiones inspicere oportet; si enim bi-

liosae

liosae fuerint, corpus una aegrotat: si vero similes sanis fiant, tutum est corpus nutrire *Aph. II.* 15.

Quaedam tubercula conducit cataplasmatis integere, & per pharmaca in potu data diffundere; aliqua vero impositis cataplasmatis mutare. *De Affect.* *XXXIV.* 3. 4.

TVBERCVLVM SVB LINGVA.

Si tuberculum sub lingua, hypoglossis appellatum, fiat, lingua intumescit, & pars sub ipsa, ac externa ad tactum dura est, & salivam deglutire non potest. *De Morb. II. XXXI.* 1. 4.

Quum sic habuerit, spongiam aqua calida imbutam apponito, & hordeaceam farinam, vino ac oleo coactam, foris ubi tumor est, imponito. Gargariset ficuum decoctum, & ne lavet. *Ibid.* 5. 8.

TVBERCVLVM AD PALATVM.

Si tuberculum constiterit ad palatum, intumescit, & suppuratur. *De Morb. II. XXXII.* 1. 2.

Quum sic habuerit, tuberculum inurito. Vbi vero exierit pus, reliquum eluito. *Ibid.* 3. 4.

CONF. ABSCESSVS, PVS, TVMOR, VOMICA.

TVBERCVLA ad AVRES, vid. PAROTIDES.

TVMOR.

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Idem, haud secus quam in praecordiis, perpenditur in tumoribus qui circa ventrem fiunt, nisi quod hi quam illi minus suppurant, minimum vero qui sub umbilico constituuntur. Atque hi quidem in tunica concluduntur, illi autem sursum diffunduntur. *Coac.* 281.

Quibus tumores in ulceribus apparent, non valde convelluntur, neque insaniunt. *Aph. V.* 65.

Laxi tumores boni; crudi vero mali. *Aph. V.* 67.

NO-

NOTAE PERICVLI.

Si magnis & pravis exiſtentibus vulneribus, tumores non appareant, ingens malum. *Aph. V. 66.*

Tumores praeter rationem allevantes, pravum. *Epid. II. III.* 132.

Tumores humeſcente alvo ſublati in altum, cum doloribus, malo ſunt: alvo vero ſuppreſſa, dum ne quid aliud innovetur, celeriter rumpuntur, & maligniores ſunt. In his vomitus pravi, & maligni. *Coac.* 623.

NOTAE LETHALES.

Ex tumoribus ſuppurantibus, mortem magis adferunt, quicunque intro rumpuntur. *Coac*, 281.

Manuum ac pedum tumores cum rubore, perniciem denunciant. *Coac.* 63.

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

Si tumores in ulceribus derepente diſpareant, quibus in poſtica quidem parte fuerint, convulſiones, tetani fiunt: quibus vero in antica, inſaniae, aut lateris dolores acuti, aut ſuppuratio, aut dyſenteria, ſi rubicundi fuerint tumores. *Aph. V.* 65.

AD THERAPIAM.

Tumores in articulis, & dolores absque ulcere, & podagricos, & convulſiones, horum plurima, frigida multa affuſa & levat, & attenuat, & dolorem ſolvit. Torpor enim modicus doloris ſolvendi vim habet. *Aph. V.* 25.

CONF. ABSCESSVS, ANGINA, HYDROPS, HYPOCHONDRIA.

TVRBATIO.

Si pulſus in praecordiis inſit, perturbationem aut delirium indicat. *Praenot.* 31.

Quibus urinae diſtantes fiunt, iis vehemens eſt in corpore turbatio. *Aph. VII.* 33.

TVRGENS MATERIA, vid. PVRGATIO.

TVSSIS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas infantum recens natorum. *Aph. III.* 24.

Aetas senilis. *Aph. III.* 31.

Tempus vernale. *Aph. III.* 20.

Tempus hiemale. *Aph. III.* 23.

Autumnus pluviosus, & austrinus, post aestatem siccam, & aquiloniam. *Aph. III.* 13.

Frigida, velut nix, glacies, pectori inimica, tusses movent, sanguinis eruptiones, ac catarrhos inducunt. *Aph. V.* 24.

Quibus diu tusses siccae, paulum irritantes, in febribus ardentibus, non admodum siticulosi sunt. *Aph. IV.* 54.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Tussiculae, quae cum crebris oris sputationibus procedunt, tubercula ad aures emolliunt. *Coac.* 204.

DETERIORIS NOTAE.

Qui per accessiones tussiunt, & tenuiter exsudant, ii maligne habere iudicandi sunt. *Coac.* 112.

Hepatico colliquatio cum raucedine, malum portendit, idque praecipue, si cum quadam tussi contingat. *Coac.* 447.

In angina, quae inter potandum per tussim reiiciuntur, quaeque difficulter deglutiuntur, malum portendunt. *Coac.* 378.

Raucitas, cum tussi, & alvo liquida, pus educit. *Coac.* 414.

LETHALIS.

Hydropicum si tussis habeat, desperatus est. *Aph. VII.* 47. *VI.* 35.

Qui gibbi, ex asthmate, aut tussi, fiunt ante pubertatem, pereunt. *Aph. VI.* 46.

Spu-

Sputa ex angina ſubarida, crebra, per tuſſim, & cum lateris dolore educta, perniciem minantur. *Coac.* 378.

VARICES.

AD DIAGNOSIN.

Qui calvi ſunt, his varices magni non fiunt. Quibus vero dum ſunt calvi, ſuperveniunt varices, hi rurſus capillati fiunt. *Aph. VI.* 34.

Varices calvorum, ſi non magni fuerint, furioſi ſunt. *Epid. II V.* 40.

AD PROGNOSIN.

Inſanientibus ſi varices, aut haemorrhoides ſupervenerint, inſaniae ſolutio fit. *Aph. VI.* 21.

Vocis gracilitatem ſolvit, varix ad ſiniſtrum & dextrum teſtem: absque horum altero fieri non poteſt, ut ſolvatur. *Epid. II. V.* 4.

VENAESECTIO.

INSTITVENDI RATIO.

Si ſanguinem alicui detrahere conducit, ſolidam alvum facere oportet, atque ſic detrahere, & fame macerare, ac vinum auferre. *De Vict. acut. LXV.* 1.

Vena ſecanda quam longiſſime a locis, ubi dolores fieri ſolent, ac ſanguis colligi. *De Ven. XIII.* 6.

EIVS VSVS.

Quibus ſanguinem de venis auferre conducit, his vere venam ſecare oportet. *Aph. VII.* 53. *VI.* 47.

Solvit oculorum dolores. *Aph. VI.* 31. *VII.* 46.

Solvit urinae ſtillicidium, & difficultatem. *Aph. VI.* 36. *VII.* 48.

Quae ruptiones ex dorſo ad cubitos deſcendunt, venaeſectio ſolvit. *Aph. VI.* 22.

Poſtica capitis parte dolenti, recta in fronte vena ſecta iuvat. *Aph. V.* 68.

Venaeſectio liberat a convulſionibus, a longa narium haemorrhagia, per vim ſuppreſſa ortis. *Coac.* 336.

Quos

Quos derepente, absque febre, praecordiorum, aut oris ventriculi dolor, aut crurum, & inferiorum partium, affligit, alvusque intumescit, venaesectio, aut alvi fluxus solutionem adfert. *Coac.* 294.

Ex venis in ano sanguinem fundere solitis aliquantum apparentibus, tenebricosae vertigines obortae, parvam ac sensim factam partium resolutionem indicant, ex quo liberat venaesectio. *Coac.* 346.

Anginam & lippitudinem solvit venaesectio. *Epid. II. VI.* 26.

In morbis comitialibus, aut semisyderatis, confert statim ab initio. *De Vict. acut. XXXVIII.* 1. 2.

In pleuritide, siquidem dolor ad claviculam de se significationem praebeat, aut gravitas ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transversum, venam secare prodest in cubiti flexura internam, & non cunctari copiosum sanguinem detrahere, donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro & rubicundo lividus. *De Vict. acut. XII.* 5. 8.

Confert in morbis acutis, si vehemens fuerit morbus, & aegri aetate, & viribus valeant. *De Vict. acut.*

Si alias atque alias dolor & vertigo in caput inciderit, prodest etiam, si sanguis a naribus fuerit detractus, aut a vena in fronte. *De Affect. II.* 10.

EIUS NOXA.

Mulier in utero gerens, secta vena abortit: & magis, si maior fuerit foetus. *Aph. V.* 31.

Lateris dolores in febribus leviter firmatos, & absque ulla significatione, venaesectio laedit, sive aversum a cibis animum, sive sublata praecordia aeger habeat. Quin etiam in corporis perfrigeratione torpescentes, non sine febre, sanguinis detractio laedit, & cum videantur levius habere, moriuntur. *Coac.* 491.

In pleuritide sectio venae non similiter solvit dolorem, si non ad claviculam pertingat dolor. *De Vict. acut. XII.* 2.

VENAE.

Vulnera fere mortem adferunt, quae magnas venas, quae sunt in collo, & inguinibus, laeserunt. *Praedict. II.* 68.

Venarum iugularium palpitatio vehemens, una cum aliis signis, perniciem minatur. *Coac.* 161.

Quos febris detinet, cum faciei rubore, & capitis vehementi dolore, in iis, si venae pulsent, sanguinis fluxus plerumque exspectandus est. *Coac.* 142.

CONF. ANGINA, FEBRIS, CERVIX.

VENTER.

AD DIAGNOSIN.

In omnibus morbis, quae partes ad umbilicum, & imum ventrem sunt, crassitudinem habere, melius est. Valde autem tenues, & eliquatas ipsas habere, malum. Periculosum vero illud est, etiam ad infernas purgationes. *Aph. II.* 35.

Si in ventrem sanguis effusus fuerit praeter naturam, necesse est suppurari. *Aph. VI.* 20.

Alvus circumtensa, ex medici industria liquida demittens, celeriter intumescens, convulsionis significationem quandam praesefert. *Praedict. I.* 99.

AD PROGNOSIN.

NOTAE PERICVLI.

In febribus circa ventrem aestus vehemens, & oris ventriculi dolor, malum. *Aph. IV.* 65.

Temerarii ventris tumores in morbis longis, convulsiones adferunt. *Coac.* 86.

NOTAE LETHALES.

Venter in tumorem sublatus, post alia signa praegressa. *Coac.* 330.

Ex diuturno ventris affectu, vomentibus, biliosis, cibum aversantibus, copiosus sudor obortus, cum repentina virium impotentia, lethalis. *Coac.* 628.

VENTRIS DOLOR.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE COMITANTES.

In ventrem iacere, ei qui per bonam valetudinem ita dormire minime consuevit, delirium, aut partium circa ventrem dolorem indicat. *Praenot.* 13. *Coac.* 497.

Potum aegre deglutienti, cum spiritu tussiculoso, eructatio quodammodo revulsa, intro convoluta, ventris dolorem denunciant. *Coac.* 632.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Dolores, qui in ventre fiunt, elevati quidem, leviores: non elevati vero, vehementiores. *Aph* *VI.* 7.

In uterum gerentibus, ventris dolor, si limosa expurget, levius malum indicat. *Coac.* 523.

Ventris dolor a partu, in his purulenta expurgat. *Coac.* 520.

NOTAE PERICVLI.

A dolore diuturno partium circa ventrem, suppuratio, (malum.) *Aph.* *VII.* 22.

A dolore vehementi partium circa ventrem, extremarum frigus, malum. *Aph.* *VII.* 26.

Quibus tormina & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque purgante, neque aliter solvitur, in hydropem siccum firmatur. *Aph.* *IV.* 11.

NOTAE LETHALES.

Febris ardens, ex laborioso ventris dolore, perniciem minatur. *Coac.* 130.

Quibus ad articulos praerubrae pustulae superficiales enatae sunt, ac subinde rigent, iis velut ex acceptis plagis, cum dolore venter, & inguina rubescunt, & pereunt. *Coac.* 489

VENTRICVLVS.

Eius vulnus lethale. *Aph.* *VI.* 18.

VEN-

Ventriculo calidi, carne frigidi & tenues, hi eminentes venas habent, & iracundiores sunt. *Epid. VI. IV.* 45.

VENTRICVLI ORIS DOLOR. CARDIALGIA.

AD DIAGNOSIN.

Quos ex lateris dolore, cibi fastidia comitantur, iis os ventriculi aliquantum dolet, & sudoribus diffluunt. *Coac.* 423.

Oris ventriculi dolores, cum intestinorum cruciatu, interaneorum animalia deiiciunt. *Coac* 285.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Febres acutas, cum mentis perturbatione, in oris ventriculi dolore non bilioso, insania solvit. *Coac.* 550.

Qui praecordiorum doloribus, oris ventriculi, iecoris, ac earum, quae sunt circa umbilicum, partium, conflictantur, cruenta alvi deiectione liberantur; secus autem moriuntur *Coac.* 295.

DETERIORIS NOTAE.

In febribus, circa ventrem aestus vehemens, & oris ventriculi dolor, malum. *Aph. IV* 65.

Oris ventriculi dolor, ac praecordiorum pulsus, cum febre, in qua totus corporis habitus perfrigeratur, malum denunciant; idque praesertim, si cum tenuibus sudoribus contingunt. *Coac.* 283.

LETHALIS.

Oris ventriculi dolor aliquis, febri, lateris dolori, deiectioni aquoso-biliosae, cibi fastidio, sudoribus copiosis, cum bene colorata facie, ac humescente alvo, succedens. *Coac.* 67.

Oris ventriculi dolor seniori crebro adveniens, repentinam mortem denunciat. *Coac* 286.

Oris ventriculi dolor, cum praecordiorum contensione, atque etiam capitis dolor, malignum quidpiam, & suspi-

suspiriosam quandam affectionem indicat. In his certe animadvertenoum est, num derepente moriantur? *Praedict.* I. 72.

ALIVM MORBVM PORTENDENS.

CONVVLSIONEM.

Lumborum & oris ventriculi dolor, cum forti screatione, convulsionem quodammodo suspectam facit. *Coac.* 320.

HAEMORRHAGIAM.

Quibus lumborum dolor in caput recursat, & manus torpore affectae, ac oris ventriculi dolorem sentiunt, aut aurium sonitus, ii liberaliter sanguinem profundunt. *Coac.* 308.

HAEMORRHOIDES.

Dolentibus lumbis, si oris ventriculi dolor accesserit, futurae per haemorrhoidas vacuationis signum est; aut etiam eam praecessisse significat. *Coac* 312.

AD THERAPIAM.

Non febricitanti, appetitus deiectus, & oris ventriculi morsus, & tenebricosa vertigo, & os amarescens, sursum purgante opus esse, indicat. *Aph.* IV. 17.

Quos derepente, absque febre, praecordiorum, aut oris ventriculi dolor, aut crurum, & inferiorum partium affligit, alvusque intumescit, venaesectio, aut alvi fluxus solutionem adfert. *Coac.* 294.

VENTVS.

Venti ex mari in regiones illabentes, ficciores quodammodo sunt. *De Diaet* II. VI. 2

Qui a nive, aut glacie, aut stagnis, aut fluminibus, procedunt, omnes humectant & frigefaciunt, tum plantas, tum animantia, & sanitatem corporibus exhibent, qui non frigiditate super excellunt. *Ibid.* 4. 5. 6.

Qui ex terra accedunt, eos necesse est ficciores esse, tum a sole, tum a terra resiccatos. *Ibid.* 12. 13.

Qui

Qui relictis montibus, ad urbes accedunt, non solum siccant; sed etiam turbant spiritum, quem inspiramus, & corpora hominum morbosa faciunt. *Ibid.* 16. 19.

Quum non habeant venti, unde alimentum trahant, a viventibus humorem trahentes, & plantas, & animalia omnia laedunt. *Ibid.* 14. 15.

CONF. ANNI TEMPVS, & CONSTITVTIO.

VENVS.

Quibusdam ubi venere utuntur, venter inflatur: quibusdam vero in hoc strepitus. *Epid. VI III* 19. 20.

Postquam venere uti inceperint, aut hircire, sanguis ipsis e naribus erumpit. *Ibid.* 42.

Extenuat, humectat, & calefacit *De Diaet. in acut.*

VER, vid. ANNI TEMPVS.
VERMES, vid. LVMBRICI.

VERRVCAE PENSILES.

Aetati puerili accidunt. *Aph. III.* 26.

VERTEBRAE.

Verticuli in occipitio introrsum extrusioni aetas puerilis obnoxia est. *Aph. III.* 26.

Quibus spiratus retrahitur, & vox strangulabunda est, iis cervicis vertebra intro desidet, & ad exitum, velut ex convulsione quadam, respiratio ducitur. *Coac.* 265.

Vertebrarum intus luxatio lethalis, urinae suppressionem, & stuporem accersens. *De Alim.*

VERTIGO.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas senilis. *Aph. III.* 31.

Tempus hiemale. *Aph III.* 23.

Quotidianae constitutiones austrinae. *Aph. III.* 17.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Tenebricosas vertigines, circa initia, sanguinis ex naribus fluxio solvit. *Coac.* 341.

DETERIORIS NOTAE.

Tenebricosae vertigines, si cum doloribus adfuerint, malum in insaniam erumpit, nec facile profligatur, & senes praecipue affligit. *Praedict. II.* 155.

LETHALIS.

Tenebricosa vertigine laborans, & lucem aversans, & somno ac ardore multo detentus, desperatus. *Aph. VIII.* 15.

Parvi in longis morbis aurium tumores, si subinde sanguis e naribus profluat, & tenebricosa vertigo excitetur, exitio sunt. *Coac* 105.

Febres vertiginosae, & cum tenuis intestini morbo, & sine hoc, perniciem intentant. *Coac.* 106.

VERTIGO ALIVM MORBVM PRAESAGIENS.

RESOLVTIONEM PAVLATINAM.

Vertigines tenebricosae, ex haemorrhoidibus aliquantum apparentibus, obortae. *Coac.* 346.

SIDERATIONEM, EPILEPSIAM, aut OBLIVIONEM.

Tenebricosa vertigo, & vocis tarditas, manuumque stupor, &c. *Coac.* 161.

AD THERAPIAM.

Tenebricosa vertigo, una cum aliis signis, sursum purgante opus esse, indicat. *Aph. IV.* 17.

Subtumidos, aut tenebricosa vertigine vexatos, aut eos, qui vel leviter moti animo deficiunt, aut cibos aversantur, & decolores sunt, medicamentis purgare tutum non est. *Praedict. I.* 71.

VESICA LABORANS.

AD DIAGNOSIN.

Si quis ſanguinem mingat, & grumos, & urinae ſtillicidium habeat, & dolor incidat ad imum ventrem, & inter femineum, partes circa veſicam laborant. *Aph IV* 80.

Quibus in urina craſſ. exiſtente, furfuracea ſimul minguntur, iis veſica ſcabie laborat. *Aph. IV.* 77.

Quos febris detinet, ſi tremor absque iudicatione conquieſcit, iis temporis ſucceſſu abſceſſus cum dolore purulenti ad articulos decumbunt, & veſica dolet. *Coac* 141.

AD PROGNOSIN.

Renum & veſicae dolores difficulter ſanantur in ſenibus. *Aph. VI* 6.

Quibus tuberculum ad veſicam adnaſcitur, urinae difficultatem adferens, iis quivis corporis habitus negotium faceſſit, cuius quidem ſolutio contingit per puris eruptionem. *Coac.* 473.

Veſica dura, & graviter dolens, omnino quidem mala eſt. Peſſima vero, ſi febris continua acceſſerit, (veſicae namque dolores interimendi vim obtinent) & alvus his nihil admodum reddit. Eos autem metu liberat, urina purulenta procedens, in qua album & leve ſubſidet. Quod ſi neque haec levata fuerint, neque veſica mollior reddatur, intra primos circuitus laborantem moriturum, exſpectandum eſt. Hoc vero pueris a 7. anno ad 15. praecipue contingere ſolet. *Coac* 471. *Praenot.* 121.

AD THERAPIAM.

Veſicae calidum quidem amicum, & decretorium: frigidum vero inimicum, & occidens. *Aph V.* 22.

VESICAE CALCVLVS, *vid.* *CALCVLVS*.

VESICAE EXVLCERATIO.

AD DIAGNOSIN.

Si quis ſanguinem, aut pus mingat, renum & veſicae

exulceratiouem significat. *Aph. IV.* 75.

Si quis sanguinem, & pus mingat, & squamas, & odor gravis sit, vesicae exulcerationem significat. *Aph. IV.* 81.

VESICAE VVLNVS.

Cui persecta est vesica, lethale. *Aph. VI.* 18.

VICTVS, *vid.* *DIAETA*.

VIGILIA. AGRYPNIA. PERVIGILIVM.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas infantum recens natorum. *Aph. III.* 24.

Aetas senilis. *Aph. III.* 31.

Febris circa initia levior, ad iudicationem, cum capitis pulsatione, & urina tenui, ingravescens. *Coac.* 81.

Liquidum alvi recrementum, & brevibus intervallis cumulatum. *Coac.* 609.

AD PROGNOSIN.

Somnus, vigilia, utraque modum excedentia, malum. *Aph. II.* 3.

A vigilia convulsio, aut delirium, malum. *Aph. VII.* 18.

Faciei corruptela minus lethalis est, si ob pervigilium contingat. *Coac.* 212.

NOTAE ALIVS MORBI FVTVRI.

CONVVLSIONIS.

Pervigiles, cum aliis signis, in convulsionem tendunt. *Coac.* 20.

HAEMORRHAGIAE.

Insomnia, cum subita corporis iactatione, & inquietudine. *Coac.* 111. *Praedict. I.* 136.

Pervigilium, cum perturbatione, narium stillatione, levamine ad noctem diei 6. dein sudore tenui postridie, somno, delirio, urina diluta. *Coac.* 87.

Qui statim sine ratione perturbantur, pervigilio torquen-

quentur, nigra & compacta ex alvo demittunt, interdum ſanguinem e naribus profundunt. *Coac.* 110.

INSANIAE.

Pervigilium leve, cum dolore capitis, ſiti, obſcura loquela, ad motum impotentia, humeſcente alvo, & laſſitudine. *Coac.* 175.

PAROTIDVM.

In angore & pervigilio vexatis, ad aures abſceſſus maxime obveniunt *Coac.* 563.

AD THERAPIAM.

Vigilia nimia poſt cibos, noxia, quia cibum ſolvi non ſinit: ieiunos autem extenuat, minus tamen laedit. *De Vict. acut.*

VIGOR MORBI.

AD DIAGNOSIN.

Circa principia, & fines, omnia ſunt debiliora: circa vigores vero, vehementiora. *Aph. II.* 30.

AD THERAPIAM.

Cum morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt. *Aph. I.* 8.

Incipientibus morbis, ſi quid movendum videatur, move: vigentibus vero, quieſcere melius eſt. *Aph. II.* 29.

VINVM.

EIVS VSVS.

Famem vini potio ſolvit. *Aph. II.* 21.

Anxietatem, oſcitationem, horrorem, vinum par pari aqua potum, ſolvit. *Aph. VII.* 56.

Solvit urinae ſtillicidium, & difficultatem. *Aph. VII.* 48.

Oculorum dolores. *Aph. VI.* 31. *VII.* 46.

Flatum, ardorem, morſum, repletionem, aut tormina, a cibo nata. *De Morb.*

EIVS NOXA.

Nocet in morbis, ubi vehemens capitis gravitas, aut mentis laeſio metuenda. *De Vict. acut.*

VI-

VIRIUM EXSOLUTIO.

In pueris ad ſeptimum progreſſis, coloris foedatio, inter ambulandum ſpiratio coacervata, & terrae appetentia, ſanguinis eruptionem, & virium exſolutionem indicat. *Coac.* 339.

Virium exſolutio dolorem ſolvens, alvum maxime humectam reddit. *Coac.* 629.

VISCERA.

In febribus acutis, convulſiones, & circa viſcera dolores vehementes, malum. *Aph. IV.* 66

Eorum abſceſſus, ex dyſenteria intempeſtive ſuppreſſa. *Coac.* 462.

VISUS HEBETUDO.

AD DIAGNOSIN.

CAUSAE ANTECEDENTES.

Aetas ſenilis. *Aph. III.* 31.

Auſtri. *Aph. III* 5.

In vulneribus, quae in ſupercilium, aut paulo altius inferuntur, viſus acies obtunditur; & quo vulnus recentius eſt, eo magis vident. Inveteraſcente autem, aut tardante cicatrice, magis obtundi ſolet. *Coac.* 510.

AD PROGNOSIN.

Aurium ſonitus, cum viſus hebetudine, & ad nares gravitatis ſenſu, mentis exceſſum, ac ſanguinis ex naribus profluvium praeſagiunt. *Coac.* 194.

In his, qui propter imbecillitatem non vident, nec audiunt, aut quibus labrum, aut oculus, aut naſus pervertitur, mors denunciatur. *Coac.* 72. *Aph. IV.* 49. *VII.* 73.

VITA.

Vita brevis, ars longa, occaſio celeris, experimentum periculoſum, iudicium difficile. *Aph. I.* 1.

Vi-

Vita hominis ſeptem dierum eſt. *De Aetat. I.* 1.

Qui longae vitae ſunt, plures dentes habent. *Epid. II VI.* 2.

VITILIGINES.

Vere fiunt *Aph. III.* 20.

Ad vitiliginem & lepram, calcem in aqua adhibeto, ut ne exulceres. *Epid. II. V.* 41.

VLCERA.

AD DIAGNOSIN.

Puſtulae ulceroſae vere fiunt. *Aph. III* 20.

Oris exulcerationes aeſtate fiunt. *Aph. III.* 21.

Pituita acribus humoribus permixta, quocunque proruperit, maxime in non conſuetos locos, eos exulcerat. *De Flat. XVI.*

Vlcera exoriuntur, ſi quis, dum impurgatus eſt, laboraverit. *Epid. VI. V.* 50.

Serpentia ulcera ſupra inguina, ad laterum inanitatem & pubem enata, male affectam alvum denunciant. *Coac.* 628.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Corporis naturae probandae ſunt leves, moderatae, firmis viſceribus praeditae, neque admodum carnoſae, neque durae; tum quae colore ſunt albo, aut nigro, aut rubro. Hae etenim omnes probantur, ſi purae ſunt. *Praedict. II.* 61.

Vlcera, ſi repurgando pus album reiiciant, celerem curationem denunciant. *De Iudicat.* 27.

Vlcerum eruptio interdum liberat ex capitis dolore. *Coac.* 172.

Vlcus recens ſanguinem fundens. *De Vlcer.*

Quibus tumores in ulceribus apparent, non valde convelluntur, neque inſaniunt. *Aph. V.* 65.

Calidum ſuppuratorium, non in omni ulcere, maximum ſignum ad ſecuritatem, *Aph. V.* 22.

DE-

DETERIORIS NOTAE.

Quoad naturas hominum, deterius eſt, ſi ex pallido mixtum colorem, aut pallidum, aut lividum habeant. *Praedict. II.* 61.

Ex locis difficilius ſanantur alae, ac laterum cavitates, ac femora. In his namque humores ſubſident, & recidivae fiunt. *Praedict. II* 66.

In his, quae circum articulos contingunt, in maximum diſcrimen praecipitant pollices, ac praecipue pedum. *Praedict. II* 67.

Vlcera circumglabra, maligna. *Aph. VI.* 4.

Vlcera quaecunque annua fiunt, aut longius tempus occupant, neceſſe eſt os abſcedere, & cicatrices cavas fieri. *Aph. VI.* 45.

Hydropicis ulcera in corpore orta, non facile ſanantur. *Aph. VI.* 8.

Tumoribus ulcerum derepente diſparentibus, quibus in poſtica quidem parte fuerint, convulſiones, tetani fiunt: quibus vero in antica, inſaniae, aut lateris dolores acuti, aut ſuppuratio, aut dyſenteria, ſi rubicundi fuerint tumores. *Aph. V.* 65.

A forti pulſu in ulceribus, ſanguinis eruptio, malum. *Aph. VII.* 21.

Nomae vitioſae ſunt, & in periculum praecipitant, quae ſaniem nigram reddunt. At albae, & mucoſae putredines, mortem quidem adferunt minus, ſed potius recidivas faciunt, & diutius perſeverant. *Praedict. II* 75.

LETHALIA.

Vlcus, ſive ante morbum, ſive in morbo natum ſit, noſſe oportet. Nam ſi periturus aeger eſt, ante mortem lividum, & ſiccum, aut pallidum, & ſiccum erit. *Praenot.* 16.

Vlcus lividum & aridum, aut pallidum effectum, mortem indicat. *Coac.* 496.

Nomae maxime ſunt lethales, quae putredines altiſſime deſcendentes habent, ſuntque nigerrimae, & ſicciſſimae. *Praedict. II.* 75.

Quum

Quum a morbo quopiam detento, debili iam exiſtenti, livida ulcuſcula enata fuerint, mortale. *De Loc. in hom. XLIV.* 7. 8.

AD THERAPIAM.

Ocium & quies maxime conferunt, *De Vlcer. II.* 3.

Modicus cibus, & aqua, quam maxime omnibus ulceribus conducunt, & magis recentioribus, quam vetuſtioribus. *Ibid. I.* 8. 9.

Vlceribus ex recenti vulnere, oleum non conducit, neque mollientia, neque adipoſa medicamenta, tum alias, tum quod ulcus ampliore purgatione opus habet. *Ibid. IV.* 3. 4.

Depurgatio ventris deorſum plurimis ulceribus confert. *Ibid.* 6.

Vlcera univerſa, niſi vino, humectare non oportet, ſi non in articulo fuerit ulcus. *Ibid. I.* 1.

Vlceribus frigida, mordax. *Aph. V.* 20.

VMBILICVS.

AD DIAGNOSIN.

Vmbilici inflammationes, in parvis & recens natis pueris. *Aph. III.* 24.

AD PROGNOSIN.

Dolores circa umbilicum, cum palpitatione, mentis alienatae ſignificationem quandam praebent. Sub indicationem vero his plurimus, & creber flatus, cum ſingulari contenſione prodit. *Praedict. I.* 36. (At iis ſub indicationem, conferta & crebra pituita cum dolore prodit. *Coac.* 300.

Qui praecordiorum doloribus, oris ventriculi, iecoris, ac earum, quae ſunt circa umbilicum, partium, conflictantur, cruenta alvi deiectione liberantur; ſecus autem moriuntur. *Coac.* 295.

Supra umbilicum labor, ac lumborum dolor, qui remediis non cedit, in hydropem ſiccum deſinit. *Coac.* 304. *Aph. IV.* 11.

VNCTIO.

Calefacit, humectat, ac mollit. *De Diaet. II. XXXV.* 18.

VNGVES.

AD DIAGNOSIN.

Vngues unci fiunt, & perfrigescunt, in empyicis. *Coac.* 402.

AD PROGNOSIN.

Vngues nigri, & digiti manuum ac pedum frigidi, contracti, vel remissi, mortem in propinquo esse ostendunt. *Aph. VIII.* 12.

Si cum gravitate, digiti quoque ac ungues lividi fiant, in propinquo mors est. *Coac.* 493.

At si omnino nigrescant, minus quam liventes periculum ostendunt. Verum tunc reliqua consideranda sunt. Etenim si facile morbum sustinet aeger, & aliud quiddam ex his, quae securitatem pollicentur, se prodit, morbus in abscessum vergit, & denigratae corporis partes decidunt. *Coac.* 493.

Quibus purulentis, ab humeris concussis, nullus intus fit strepitus, difficultas tamen spirandi vehemens adest, & livescunt ungues, ii pure pleni sunt, & perniciose habent. *Coac.* 432.

VOLVVLVS, vid. ILEVS.

VOMICA.

AD DIAGNOSIN.

Ex lateris morbo praecipue, aut pulmonis inflammatione purulentos, calores interdiu quidem tenues, noctu vero intensiores consequuntur, neque quicquam effatu dignum exspuunt, circa cervicem & claviculam sudores occupant, oculi cavantur, malae vero rubent, digiti quidem manuum summi calent, & scabri redduntur, ungues autem unci fiunt, & perfrigescunt, in pedibus tumores, & pustulas toto corpore habent, ac cibos refugiunt. Atque hae sunt diuturnarum vomica-

micarum notae. Quae vero celerem eruptionem habent, tum ex notis, quae ad eas consequuntur, comprehenduntur, tum etiam ex doloribus, qui circa initia fiunt, simulque si spiritus aliquanto maiori cum difficultate trahitur. *Coac.* 402. *Praenot.* 105. 106.

Quod si in altero tantum latere suppuratio fuerit, tum vertere, tum ediscere ad haec convenit, num dolor aliquis alterum latus detineat, & num altero calidius fuerit, atque ubi in latus sanum decubuerit, interrogare, si quod ei pondus desuper impendere videatur. Sic enim altero latere, in quo pondus extiterit, suppuratio est. *Praenot.* 104.

Rumpuntur autem magna ex parte suppurationes, partim quidem 20. die, partim 40. partim etiam 60. Quibus igitur inter initia intensus dolor instat, nec non spirandi difficultas, & tussis, cum frequenti sputatione, circa vigesimum diem, aut celerius, ruptio exspectanda est. Quibus autem leviora haec insunt, pro ratione serior eruptio futura est. Sed & dolorem, & spirandi difficultatem, ac crebram spirationem, eruptionem ipsam praecedere necesse est. Temporis autem ratio ineunda est, ex quo primum quis dolorem, aut gravitatem sensit, aut febricitavit aliquis, aut si quando etiam rigor prehendit. *Coac.* 402. *Praenot.* 107.

AD PROGNOSIN.

NOTAE SALUTIS.

Vtplurimum brevi servantur, quos febris, statim atque eruptio facta est, dimittit, & cibos appetunt, & quibus pus facile educitur, album, odoris expers, leve, eiusdemque coloris, sine pituita, ac alvus exigua, & coacta reddit. *Coac.* 402. *Praenot.* 108.

NOTAE LETHALES.

At ii moriuntur, quos febres consequuntur, & sitis, & cibi fastidium, si pus lividum, aut ex pallido virescens, aut pituitosum, aut spumans, ac insuper si alvus est liquida. *Coac.* 402. *Praenot.* 109.

Qui-

Quibus autem ex praedictis, partim quaedam adſunt ; partim vero abſunt, hi quidem moriuntur, illi vero poſt longa temporum intervalla ſani evadunt. *Coac.* 402. *Praenot.* 110.

CONF. ABSCESSVS, PVS, EMPYEMA, PERIPNEVMONIA, PLEVRITIS.

VOMITVS SPONTANEVS.

AD DIAGNOSIN.

CAVSAE ANTECEDENTES.

Aetas infantum recens natorum. *Aph. III.* 24.
Tempus aeſtivum. *Aph. III* 21.
Tumoris intus ruptio. *Aph. VII.* 8.
Vulnus cerebri. *Aph. VI.* 50.
Ileus. *Aph. VII.* 10.

NOTAE ANTECEDENTES.

Qui vomituri ſunt, iis antea os crebra ſalivatione impletur. *Coac.* 566.

Si quis in febre non lethali, dixerit caput dolere, aut tenebricoſum quiddam ante oculos obverſari, ſi etiam oris & ventriculi morſus acceſſerit, biliosa vomitio aderit. Quod ſi quoque rigor obortus fuerit, & inferiores praecordiorum partes frigidas habuerit, adhuc citius vomitio aderit. Si vero ſub id tempus biberit quidpiam, aut ederit, id quam-celerrime evomitur. *Praenot.* 144.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

In perturbationibus alvi, & vomitibus ſponte evenientibus, ſiquidem qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt: ſin minus, contra. *Aph. I.* 2.

A diuturno alvi profluvio detento, ſponte ſuperveniens vomitus, alvi profluvium ſiſtit. *Aph. VI.* 15.

Vomitio maxime innoxia eſt, quae pituita & bile permixta eſt, dum ne admodum copioſa ſit. *Coac.* 556. *Praenot.* 81.

In

In ſurditate, ac torpore, ex naribus ſubſtillatio moleſtiam quandam exhibet. Iis vomitio, ac alvi perturbatio conveniet. *Coac.* 208. 334.

In intenſo lumborum dolore, & alvi ſubductione largiore, ſumpto veratro, ſpumoſorum crebra vomitio prodeſt. *Coac.* 310. 570.

DETERIORIS NOTAE.

Sinceriores vomitiones, deteriores ſunt. *Coac.* 556. *Praenot.* 81.

Viridis quoque vomitus, & niger, & lividus, vitioſus eſt. *Coac.* 556. *Praenot.* 82.

Omnes ſubputres, & graves odores, in omnibus vomitionibus, mali. *Praenot.* 85.

Vomitiones variae malo ſunt, praeſertim ſi continenter, & aſſidue prodeant. *Praedict.* I. 60.

Vomitiones ſincerae, & cum angore, aut incontinenti corporis iactatione, damnandae ſunt. *Praedict.* I. 62.

Vomitiones exiguae, bilioſae, malum denunciant, tum vero praecipue, ſi pervigilio conflictentur aegri. *Coac.* 558. *Praedict.* I. 79.

Vomitus parvi, & frequenter repetentes, bilioſi, ſinceri. mali ſunt, in copioſiore ventris ſubductione, & intenſo lumborum dolore. *Coac.* 560.

In vomitu, eum, qui ſiti prematur, ſitis expertem eſſe malum eſt. *Coac.* 562.

Bilis vomitus vulneri ſuccedens, malum denunciat, praecipueque in capitis vulneribus. *Coac.* 517.

A vomitu ſingultus, & oculi rubri, malum. *Aph.* VII. 3.

Ab ileo vomitus, &c. malum. *Aph.* VI. 10.

Crebro repetentes, iisdem perſeverantibus caſibus, vomitiones, ad iudicationem nigra vomitione refundunt. Quin etiam tremulos aegros faciunt. *Coac.* 571.

Vomitus pravi & maligni, poſt tumores humeſcente alvo ſublatos in altum, cum doloribus, dein alvo ſuppreſſa celeriter ruptos. *Coac.* 623.

Quum pueri deglutire in tonſillarum ulceribus non poſ-

sunt, his multam bilem revomi, aut per alvum prodire, periculosum est. *De Dentit. III.* 4.

Vomitio parva, cum sopore, incontinenti corporis iactatione, praecordiorum dolore, & parotidibus. *Coac.* 183.

In superflua purgatione, qui subinde vomunt, & siticulosi sunt, male habent. *Coac.* 568

LETHALIS.

Si quis omnes colores vomat, exitiale est. Celerrimum autem exitium indicat, vomitus lividus & mali odoris. *Coac* 556 *Praenot.* 83 84.

Mortem quoque adfert ruber vomitus, isque praecipue si cum maiore conatu, & dolore contingat. *Coac* 556.

Vbi ex vomitu anxietudo occupat, vox stridula est, oculi pulvere obsiti, insania portenditur: ac tale vehementi insania correpti, voce defecti intereunt. *Coac* 561

Lumborum dolores ad os ventriculi recursantes, cum febre, horrore, si tenuia & aquosa vomitione reiecerint, delirarint, voce defecti sint, ii post nigrorum vomitionem moriuntur. *Coac.* 316.

Eae cerebri vulnere, febris utplurimum, ac bilis vomitus succedit, & corporis resolutio, iique perniciose habent. *Coac.* 500.

VOMITVS INSANIAM PORTENDENS.

Vomitus virulenti, & aeruginosi, cum capitis dolore, surditate, & insomnia, promptam insaniam significant. *Praedict. I:* 10.

AD THERAPIAM.

Ad vomitum solvendum confert, aquam calidam bibere, & vomere. *Epid. II. V* 35.

VOMITVS CRVENTVS.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Qui sanguinem vomunt, siquidem sine febre, salutare. *Aph. VII.* 37.

Mu-

Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit. *Aph. V.* 32.

His, quae non pariunt, ad conceptum ſanguinis vomitus prodeſt. *Coac.* 551.

DETERIORIS NOTAE.

Vomitus ſanguinis cum febre, malum. *Aph. VII* 37.

Sanguis ſurſum quidem, qualis cunque ſit, malum *Aph. IV.* 25.

A ſanguinis vomitu tabes, & puris purgatio ſurſum. *Aph. VII.* 78.

LETHALIS.

Qui ſanguinem evomunt cum febre multa, dolore ad mammam, thoracem & dorſum: quibus, inquam, haec inſunt omnia, ii brevi moriuntur: quibus autem non omnia, neque intenſe adſunt, tardius. Ad ſummum autem, diebus 14. inflammationem concipiunt, *Coac.* 426.

AD THERAPIAM.

Curandum refrigerantibus, & aſtringentibus. *Aph. VII.* 37.

VOMITVS NIGER.

AD DIAGNOSIN.

NOTAE ANTECEDENTES.

In his, qui varie morbum trahunt, & mente moventur, ſi ſubinde ſopor incidat, praenuncia exſpectandam eſſe nigram vomitionem. *Coac.* 103.

Crebrae in phreniticis cum perfrigeratione ſputationes, nigrorum vomitionem praenunciant. *Coac.* 102.

Crebrae, iisdem perſeverantibus caſibus, morborum reverſiones, impendente iudicatione ſanguinem profundentes, nigram vomitionem excitant. *Coac.* 122.

Lingua praeter rationem mollis reddita, ac nauſeabunda, cum ſudore frigido, ac alvo liquida, nigrae vomitionis ſignificationem adfert. *Coac.* 232.

Lumborum dolor ad os ventriculi recurſans, cum febre, horrore, multorum tenuium & aquoſorum vomitu, delirio, & vocis defectione. *Praedict. I.* 83.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Humerorum dolores, qui ad manus tendunt, torporesque & dolores exhibent, abſceſſus certe non conſequuntur, at bilis atrae vomitione ſanantur. *Praedict. II.* 172.

DETERIORIS NOTAE.

Vomitio nigra, cum laſſitudinis ſenſu, poſt linguam mollem redditam, ac nauſeabundam, cum ſudore frigido, ab alvo liquida. *Coac.* 232.

LETHALIS.

Morbis quibusvis incipientibus, ſi bilis atra vel ſurſum, vel deorſum prodierit, lethale. *Aph. IV.* 22.

Vomitio nigra, cum dolore capitis, levi ſurditate, manuum tremore, cervicis dolore, & urinis nigricantibus, ac denſis. *Coac.* 176.

AD THERAPIAM.

Qui nigra vomitione refundunt, &c. eos medicamentis purgare, tutum non eſt. *Praedict. I.* 71.

VOMITVS MEDICVS.

INDICANTIA.

Purgandum, aeſtate quidem, magis ſuperiores ventres: hieme vero, inferiores *Aph. IV.* 4.

Graciles, & facile vomentes, ſurſum purgandi, vitantes hiemem. *Aph. IV.* 6.

Non febricitanti, appetitus deiectus, & oris ventriculi morſus, & tenebricoſa vertigo, & os amareſcens, ſurſum purgante opus eſſe, indicat. *Aph IV* 17.

Supra ſeptum transverſum dolores, qui purgatione egent, ſurſum purgante opus eſſe, indicant. Qui vero infra, deorſum. *Aph. IV.* 18.

Su-

Sudor multus, calidus aut frigidus, semper fluens, humidi redundantiam habere significat. Educere igitur oportet, robusto quidem, superne: debili vero, inferne. *Aph. VII.* 61.

CONTRAINDICANTIA.

Tempus hiemale. *Aph. IV.* 6. Caniculare. *Aph. IV.* 5.

Quibus alvi sunt liientericae, eos hieme sursum purgare, malum est. *Aph. IV.* 12.

Difficulter vomentes, & mediocriter carnosi, deorsum purgandi, vitantes aestatem. *Aph IV.* 7.

Tabidi vero, vitantes (purgationes) sursum. *Aph. IV* 8.

REGVLAE THERAPEVTICAE.

Corpora oportet, ubi quis purgare vult, facile fluentia reddere. Et siquidem velit efficere facile fluentia sursum, alvum sistere: si vero deorsum, humectare. *Aph. VII.* 70.

Si qualia purgari oportet, purgentur, confert, & facile ferunt: si vero contraria, difficulter. *Aph. I.* 25. *IV.* 3.

Alvum constipatam solvit vomitus, & nimis fluxam sistit. *De Diaet. II.*

VOX.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Facies ex tumida depressa, ac vox levior, & remissior evadens, spiritus quoque rarior ac lenior, postera die remissionem fore, denunciat. *Coac.* 211.

Dolor capitis, cum sedis ac pudendorum dolore, torporem ac impotentiam adfert, vocemque exsolvit, neque ista molestiam exhibent. Verum ex his somnolenti, ac singultuosi nono mense evadunt, & voce libera reddita in integrum restituuntur. *Coac.* 164.

DETERIORIS NOTAE.

In homine moderato, ferox & audax responsio, & vox acuta, malum portendunt. Iis praecordia intro trahuntur, & tendunt. *Coac.* 51. *Praedict. I.* 44. 45.

Vox acuta, & stridula, malo est. *Praedict. I.* 47.

Confractae voces, post medicamenti purgantis potionem, considerandae, num pravae sint? Horum plerisque tenues sudores diffluunt, & alvi humectantur. *Coac.* 251.

LETHALIS.

Desipientiae, cum voce stridula, linguae revulsione, ac ipsi quoque tremuli, vehementem mentis alienationem significant. In his durities, aut asperitas, perniciem minatur. *Coac.* 99.

Alvi solutio, quae praeter rationem accidit, cum voce tremula; in his, diutius perseverante perturbatione, pernicies intentatur. *Coac.* 258.

Vbi ex vomitu anxietudo occupat, vox stridula est, oculi pulvere obsiti, insania portenditur; ac tales vehementi insania correpti, voce defecti intereunt. *Coac.* 561.

In opisthotono, ubi per initia vox defecta fuit, clamare, aut nugari, lethale; postridie enim adfuturam mortem significat. *Coac.* 351.

VOX CONVVLSIONES PORTENDENS.

Vox acuta, eiulabunda, ac oculorum hebetudo, convulsionem minantur. His dolores ad inferiores partes demissi, toleratu sunt faciles. *Coac.* 257.

CONF. RESPIRATIO, CAPITIS DOLOR.

VOCIS DEFECTIO. APHONIA.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Quae ex rigore fiunt vocis defectiones, tremore solvuntur; atque eos, qui subinde novo rigore corripiuntur, succedentes tremores iudicant. *Coac.* 27.

Qui in febre assidua defecti iacent, & oculis conniventibus nictantur, hi evadunt, si post sanguinis ex naribus fluxum, ac vomitum, ad loquelam, & ad seipsos redeant. *Coac.* 77.

DE-

DETERIORIS NOTAE.

In febre cum ſudore, vocis ex capitis dolore defectiones; ſi per ſe reſolvuntur aegri, ac praeter voluntatem excrementa remittantur, malumque remitti videatur, diuturni morbi metus eſt. In his ſubinde obortus rigor, damnari non debet. *Coac.* 253. *Praedict.* I. 93.

Vocis defectiones, cum virium exſolutione, peſſimae. *Praedict.* I. 24.

Vocis defectiones, cum ſingultu, peſſimae. *Praedict.* I. 23.

LETHALIS.

Vocis defectiones, cum virium exſolutione, in acuta febre, ſine ſudore, ſunt quidem lethales: cum ſudore vero minus, ac temporis diuturnitas ſignificatur. Ac fortaſſe quidem, quibus ex morbi reverſione tale quid contingit, ſecuriſſime habent. Ex iis autem maximo in periculo verſantur, quibus ſanguis ex naribus profluit, & alvi effunduntur. *Coac.* 256.

Ex rigore vox intercepta, perniciem denunciat. *Coac.* 39. 255.

Vehementes inſaniae, cum vocis defectione, perniciem intentant. *Coac.* 254.

Vocis defectio, ac tenuis ſudor, cum perfrigeratione ex rigore, capitis ac cervicis dolore. *Coac.* 1.

Vocis defectio, cum febre aſſidua, & oculis conniventibus, niſi poſt haemorrhagiam narium, ac vomitum, ad loquelam, & ad ſeipſos redeant. *Coac.* 77.

Vocis defectiones in febre, quae convulſionis ſpeciem praeſeferunt, & in mentis emotionem cum ſilentio deſinunt, perniciem oſtentant. *Coac.* 248. *Praedict.* I. 54.

Quos vox cum febre, & absque ulla iudicatione deficit, ii tremuli intereunt. *Coac.* 247. *Praedict.* I. 91.

Quibus voces cum dolore deficiunt, ii tandem non ſine ſummo cruciatu, vitam cum morte commutant. *Coac.* 249. *Praedict.* I. 55.

In vocis defectione, respiratio, velut iis qui suffocantur, conspicue elata, & visui exposita, perniciem minatur. Animadvertendum etiam est, num delirium praenunciet. *Coac* 252. *Praedict. I.* 25.

Quos palpitationes in totum occupant, num voce defecti intereunt? *Coac.* 347.

In iis, qui longo tempore consumpti sunt, temerariae, & quae praeter rationem fiunt, alvi exsolutiones, una cum vocis defectione tremula, perniciem denunciant. *Coac.* 634.

VOCIS DEFECTIO CONVVLSIONEM PORTENDENS.

Animadvertendum est, num vocis defectiones, cum alto sopore, convulsionem minentur? *Praedict. I.* 123.

TABEM.

Crebrae, & quae cum sopore quodam consistunt, vocis defectiones, tabem denunciant. *Coac* 259.

VRETRA.

Quibus in fistula urinaria tuberculum nascitur, his suppuratio, eo & perrupto, solutio fit. *Aph. IV.* 82. *VII.* 57.

VRINA IN GENERE.

AD DIAGNOSIN.

Per vesicam prodeuntia inspicere oportet, an sint, qualia sanis prodeunt. Quae igitur minime his similia, ea morbosiora: sanis vero similia, minime morbosa. *Aph. VII.* 66.

Quibus urinae distantes fiunt, iis vehemens est in corpore turbatio. *Aph. VII.* 33.

Quibus rigor adest, iis urina restitat. *Coac.* 29.

AD PROGNOSIN.

VARIAE NOTAE.

Et urinae, & alvi excrementa, & sudores, cum apparent, vel judicatu faciles, vel difficiles, vel breves, vel longos morbos fore, indicant. *Aph. I.* 12.

Alvi

Alvi egestiones, & urinae, probe secedentes, bonae: si vero nihil ex conducentibus excernatur per haec loca, malum. *Aph. IV.* 47.

In febre, variarum interdum urinarum mictiones, morbum producunt. *Coac.* 595.

VRINA DETERIORIS NOTAE.

Vrinae laboriosae damnantur, atque ab his detentae rubrae quaedam efflorescentiae, & aeruginosae, parvaeque veluti quaedam stillae apparentes. *Praedict. I* 59.

In praecipitibus morbis periculum denunciat urina, quae colore ac sedimento variat, praecipueque in iis, quae ex capite fiunt defluxionibus. *Coac.* 578.

In tumoribus ad aures, urinae celeriter ac pauco tempore concoctae, damno sunt. Quin & perfrigerari, itidem malum est, *Coac.* 295. 587.

Vrinae derepente praeter rationem parum concoctae, vitiosae sunt. Ac in totum, quae in morbo acuto urina praeter rationem cocta est, vitium denotat. *Coac.* 579.

Mala quoque, quae post potionem celeriter meitur, praesertimque in lateris doloribus, & pulmonis inflammationibus. *Coac.* 579.

In hydrope sicco, urina stillatim effluens, malum denunciat. Mala quoque est, quae exigua habet sedimenta. *Coac.* 453.

VRINA LETHALIS.

Vrinae, quae non sentientibus effluunt, alias perniciem denunciant. Animadvertendum, num tales his reddantur, quales sunt, ubi subsidentiam conturbaveris. *Coac.* 596. *Praedict. I.* 29.

Perniciosa est urina, quaecunque inscio aegro redditur. *Coac.* 580.

Quibus incogitantibus urina decidit, ac pudendum contrahitur, ii desperati sunt. *Coac.* 474.

Exitiosiores sunt urinae foetidae, & aquosae, & nigrae, & crassae. *Praenot.* 76.

Ad

Ad haec, in viris quidem, & mulieribus, urinae nigrae: in pueris aquosae, deterrimae. *Praenot.* 77.

VRINAE COPIA.

EXCEDENS.

Mictio noctu multa contingens, parvam deiectionem significat. *Aph. IV.* 83.

In praecordiorum dolore, cum aliquo murmure, succedens lumborum dolor, in febribus, alvos plerumque humectat, nisi flatus eruperit, aut urinae copia prodierit. *Coac.* 291.

Loquendi impotentia in convulsionibus solvitur, magna urinarum confertim & derepente prodeuntium abundantia. *Coac.* 359.

Quibus circa initia alvus turbatur, urinae autem paucae sunt, temporis progressu alvus quidem resiccatur, urina vero tenuis abundat, his abscessus ad articulos fiunt. *Coac.* 619.

DEFICIENS.

Vesica intercepta, praesertim cum capitis dolore, convulsionem minatur. *Praedict. I.* 120.

Vrinarum, in praecipitibus malis, ex perfrigeratione interceptiones, pessimae. *Praedict. I.* 51. *Coac.* 5.

Vrinae, quae cum rigore restitarunt, malum & convulsionem praenunciant; tum vero praecipue, si antea alto sopore aeger detentus fuerit. In his autem abscessus ad aures sperare oportet. *Coac.* 25.

VRINAE CONSISTENTIA.

TENVIS.

In febribus longis, pravis, vagis, tenuium urinarum eiectiones, lienis affectionem denunciant. *Coac.* 594.

Quibus urinae crassae, grumosae, paucae, non sine febre, copia ex his succedens tenuis, iuvat. Tales autem maxime prodeunt, quibus ab initio, aut brevi, subsidentiam continent. *Aph. IV.* 69. *Coac.* 597.

In pueris urina tenuis, magis perniciosa, quam crassa. *Coac.* 580. *Praenot.* 77.

In pulmonis inflammatione, quibus circa initia urinae crassae sunt, dein ante 4. diem tenues evadunt, mors impendet. *Coac.* 415. 580.

Vrina diluta, aut arenida, & facile dissolubili asperitate returbata, liquidam fore alvum denunciat. *Coac.* 583.

Qui circa initia tenuiter febricitantes, ad iudicationem cum capitis pulsatione, & urina tenui ingravescunt, eos mentis emotione, ac insuper pervigilio corripi, nil mirandum est. *Coac.* 81.

Vrina cruda, quae sic diu perseverat, ut reliqua signa salutaria sint, abscessum & dolorem, praecipueque infra septum transversum, denunciat. Doloribus vero ad lumbos oberrantibus, ad coxam, idque in febre, & sine febre. *Coac.* 582. *Praenot.* 78.

Vrinae praeter cousuetudinem tenues, & crudae, absque repletione, morbo comitiali obnoxiis, novum insultum denunciant, &c. *Coac.* 599.

CRASSA.

Quae urina admodum tenuis, spissa evadit, fortasse erupturum sudorem indicat, iam autem erupisse; quae spumam in se ipsam insidentem habet. *Coac.* 583.

Vrina returbida, cum sudore, morbi reversionem significat. *Coac.* 482.

Quibus in febre urinae conturbatae, qualis iumentorum, his capitis dolores aut adsunt, aut aderunt. *Aph.* *IV.* 70. *Coac.* 582.

Quibus in urina crassa existente, furfuracea simul minguntur, iis vesica scabie laborat. *Aph.* *IV.* 77.

Vrina membranosa, convulsionem significat. *Coac.* 582.

Febres cum posteriorum partium distentione, urinae genitale semen referentes solvunt. *Coac.* 362.

Vrina, quae ante rigorem oleosa redditur, mala. *Coac.* 579.

Vrina, quae grandinem refert, & geniturae similis effunditur, itemque dolorem exhibet, perniciem indicat. *Coac.* 580.

VRINAE COLOR.

ALBICANS.

Quibus spes est abscessum fore ad articulos, eos abscessu liberat urina multa, & crassa, & alba reddita, qualis in febribus, cum lassitudine, 4. die quibusdam fieri incipit. Si vero etiam ex naribus sanguis eruperit, brevi admodum solvit. *Aph. IV.* 74.

In convulsione, confert urinae vitreae copiosus pertransitus. *Coac.* 358.

Vrina diluta, & alba, in diuturnis morbis perseverans, difficilem, & non securam iudicationem facit. *Coac.* 576.

Quibus urinae pellucidae, albae, malae. Maxime autem in phreniticis observantur. *Aph. IV.* 72.

Vrinae cineritiae, cum spirandi difficultate, aquam intercutem denunciant. *Coac.* 582.

Febre ardente, cum alto stupore (quem catochum dicunt) detentis, exalbida urina pessima est. *Coac.* 581.

RVBICVNDVS.

Quoad urina fulva fuerit, & tenuis, crudum esse morbum indicat. Quod si diutius talis urina perseveret, periculum est, ne non possit aeger sufficere, quoad urina concoquatur. *Praenot.* 75.

Laterum dolore affectis, urina aliquantulum rubra, levem habens subsidentiam, securam iudicationem praenunciat. *Coac.* 586. *Praenot.* 72.

Vrina admodum rubra, & bene florulenta, sedimentum pallidum, leve, ac parum habens, diuturnum valdeque turbulentum morbum fore, & in alium transiturum, non tamen perniciosum, designat. *Coac.* 586.

In praecipitibus morbis periculum denunciat urina biliosa, neque aliquantulum rubra, & quae hordei tosti,

non

non exacte moliti, crassioribus frustulis similia habet sedimenta. *Coac.* 578.

Procedente morbo surditas, ac urina subrubra, cum nullo sedimento, sed cum sublimamentis in medio innatantibus, mentis emotionem praenunciant. *Coac.* 158.

NIGRICANS.

In praecipitibus malis, iuxta tenues circa caput maxime sudores, & corporis incontinentiam, urinae nigrae, cum spiritu magno, & concitato, perniciem intendunt. *Coac.* 49.

Vrinae nigricantes, & densae, cum nigra vomitione, &c. perniciosae. *Coac.* 175.

Perniciem indicat urina, in qua nigrum est quod subsidet, & quae nigra est. *Coac.* 580.

COLOR VARIVS.

In praecipitibus morbis, periculum denunciat urina alba, & quae colore ac sedimento variat, praecipueque in iis, quae ex capite fiunt, defluxionibus. *Coac.* 578.

Perniciem praesefert, quae ex nigra in biliosam tenuem transit, & quae sedimentum habet divulsum, quaeque ex his, quae densata per urinam feruntur, quod subsidet, habet aliquantulum livescens, & limosum. *Coac.* 578.

In morbis acutis, urinae quae ex viridi pallescunt, nec in colore persistunt, malae. *Coac.* 579.

Laterum dolore affectis, in propinquo mortem esse significat, quae viridis nigrum habet sedimentum, aut furfuribus simile. *Coac.* 581.

VRINAE CONTENTA.

VARIA.

Quibus in urinis bullae superstant, renum affectiones significant, & longam fore invaletudinem. *Aph. VII.* 34.

Quibus autem pingue est, & confertum, quod supernatat, his affectiones nephriticas, & acutas significat. *Aph. VII.* 35.

Qui-

Quibus in urina crassa existente, carunculae parvae, aut veluti pili una exeunt, his de renibus excernuntur. *Aph. IV. 76.*

Si quis sanguinem, aut pus mingat, renum aut vesicae exulcerationem significat. *Aph. IV. 75.*

Si quis sanguinem, & pus mingat, & squamas, & odor gravis sit, vesicae exulcerationem significat. *Aph. IV. 81.*

Pinguedines supra innatantes, araneorum telas referentes, damnare oportet, colliquationem namque significant. *Praenot. 79.*

Mictiones membranularum speciem referentes, cum cervicis ac dorsi perfrigerationibus, ac multo magis quae totum corpus pervadunt, convulsiones portendere videntur. *Coac. 83. 584.*

Vrina purulenta, ac vitrea, affatim reddita, cum sedimento laudabili, &c. morbos acutos solvit *Coac* 150.

Quibus inferiores partes male afficiuntur, vehementibus pruritibus prius obortis, iis urina sabulosa fit, & subsistit. At qui perniciose habent, iis mens obtorpescit. *Coac.* 488.

Vrina cruenta circa initia reddita, morbi diuturnitatem significat. *Coac.* 582.

NVBECVLA.

Quibus morbi septima die iudicantur, iis nubeculam rubram urina die 4. continet, & alia secundum rationem. *Aph. IV.* 71.

Nubeculae, quae per urinas feruntur, albae quidem, bonae: nigrae vero, malae sunt. *Praenot.* 74.

In urinis, quae nubeculas habent, considerandum venit, an superne, an inferne ferantur, & quosnam habeant colores. Et quae quidem deorsum feruntur, cum dictis coloribus, bonae censendae, & commendandae: at quae sursum feruntur, malae, & vituperandae. *Praenot.* 80.

Vrinae tenues, nubeculam quamdam in medio assumentes, rigorem denunciant. *Coac.* 538.

In urinis nubeculae, albae quidem, & quae infimum locum tenent, utiles sunt: rubrae vero, nigrae, ac lividae, molestiam exhibent. *Coac.* 577.

In errantibus febribus, nigrae nubeculae quartanam denunciant. *Coac.* 582.

Vrinae decolores, suspensa quaedam in medio nigra habentes, cum pervigilio & perturbatione, phrenitidem denunciant. *Coac.* 582.

In tertianis cum horrore, nubeculis nigris similia, inconstantem horrorem indicant. *Coac.* 584.

SVSPENSVM. ENAEOREMA.

Surarum dolores maligni sunt, ac mentis emotio, tum vero praecipue, si sublime quid in urina innatet. *Coac.* 30.

Laboriosae urinae damnantur; atque ab his detentae rubrae quaedam efflorescentiae, & aeruginosae; parvaeque veluti quaedam stillae apparentes. *Praedict. I.* 59.

In his, in quibus speramus abscessus circa aures futuros, considerandum, num urina diluta, cum sublimibus quibusdam in medio suspensis, albidis, & aliquantum variantia, exalbicantia, aut graveolentia, appareant? *Coac.* 203.

SEDIMENTVM. HYPOSTASIS.

AD DIAGNOSIN.

Quibus in urina arenosa subsident, illis vesica calculo laborat. *Aph. IV.* 79.

Quibus febricitantibus, in urinis subsidentiae fiunt crassiori farinae similes, longam infirmitatem significant. *Aph. VII.* 31.

Quibus autem biliosae subsidentiae, ab initio vero tenues, acutum morbum significat. *Aph. VII.* 32.

Quae emittitur urina, in qua quod subsidet, pinguedinem habet, febrem significat. *Coac.* 582.

Quae vero sputo similia habet sedimenta, aut limosa, rigorem denunciat: quae araneorum telis similia quaedam habet, colliquationem. *Coac.* 582.

AD

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Quibus in urinis cito aliquid subsidet, hi brevi iudicantur. *Coac.* 598. *Aph. IV.* 69.

Vrina optima est, in qua per omne tempus, quoad morbus iudicatus fuerit, subsidet album, leve, & aequale. Securitatem enim, brevemque morbum fore significat. *Praenot.* 70.

At urina subrubra, simileque quod subsidet; & leve, haec longe quidem diuturnior, quam prima sit, valde tamen salutaris. *Praenot.* 72.

Vrina in febre album & leve depositum habens sedimentum, celerem liberationem denunciat. Celerem quoque, quae diluta indiscretam habet pinguedinem. *Coac.* 575.

Quae aliquantulum rubet, subrubrum habet sedimentum, & leve, siquidem ante 7. diem appareat, 7. die solutionem fore designat: post 7. autem, tardiorem, aut plane diuturnam. *Coac.* 575.

Quae 4. die subrubram nubeculam capit, 7. die liberat, dum reliqua pro ratione habeant. *Coac.* 575.

Febricitare incipientibus, sanguinis stillationes cum sternutatione accedentes, & quod in urina desidet album, 4. die visum, 7. solutionem affore denunciant. *Coac.* 149.

Vesica graviter laborantes, metu liberat urina purulenta procedens, in qua album, & leve, subsidet. *Coac.* 471.

DETERIORIS NOTAE.

Si urina intermittat, & interdum quidem pura meiatur, interdum etiam subsideat album & leve, diuturnior, & minus securus morbus evadit. *Praen.* 71.

Sedimenta in urinis, crassiores hordei tosti non exacte moliti partes referentia, prava sunt; hisque peiora, laminis similia. Alba vero, & tenuia, valde prava: atque his etiam deteriori, furfuracea. *Praenot.* 73.

Quibus febricitantibus, in urinis subsidentiae sunt crassio r

ſiori farinae ſimiles, longam infirmitatem ſignificant. *Aph. VII.* 31.

Vrina tenuis, & bilioſa, & aegre lentum habens ſedimentum, & quae in melius ac deterius commutatur, temporis diuturnitatem poſtulat. Quod ſi iſtud diutius perſeverat, aut ad iudicationem temporis longinquitas requiratur, periculo non vacat. *Coac.* 575.

In praecipitibus morbis periculum denunciat, urina bilioſa, neque aliquantulum rubra, & quae hordei toſti non exacte moliti craſſioribus fruſtulis ſimilia habet ſedimenta. *Coac.* 578.

Vrina, in qua quod ſubſidet, bonum eſt, & derepente evaneſcit, dolorem ac mutationem denunciat. At quae ſedimentum habet, returbida, reſidens, rigorem circa iudicationem, forte etiam & in tertianam, aut quartanam tranſitum, *Coac.* 485.

LETHALE.

In laterum doloribus, urina cruenta, obſcura, cum eo quod ſubſidet vario & indiſcreto, utplurimum in 14. diebus mortem adfert. Laterum quoque dolore affectis, in propinquo mortem eſſe ſignificat, quae viridis nigrum habet ſedimentum, aut furfuribus ſimile. *Coac.* 581.

VTERVS.

AD DIAGNOSIN.

Quae frigidos ac denſos uteros habent, non concipiunt, & quae praehumidos habent uteros, non concipiunt, extinguitur enim ipſis genitura. Et quae ſiccos magis, & adurentes; alimenti enim inopia ſemen corrumpitur. Quae vero ex utriſque temperamentum habent moderatum, hae ipſae proliferae fiunt. *Aph. V* 62.

Quae in utero gerunt, harum os uteri clauſum eſt. *Aph. V.* 51.

Quibus os uteri durum eſt, his neceſſe eſt os uteri clauſum eſſe. *Aph. V.* 54.

AD PROGNOSIN.

Vtero inflammato, urinae stillicidium supervenit. *Ap V.* 58.

Si mulieri praegnanti erysipelas in utero fiat, lethale. *Aph. V.* 43.

Vterorum procidentia, cum aliis notis, lethalis. *Coac.* 526.

Vterinae ventris duritates, cum dolore, celerem perniciem denunciant. *Coac.* 528.

AD THERAPIAM.

Vtero calidum amicum, frigidum vero inimicum. *Aph. V.* 22.

Si uterus coxae incumbens suppuratus fuerit, necesse est medicamenta in linteo carpto applicari. *Aph. V.* 47.

VTERI FLVOR ALBVS, ET FVLVVS.

AD DIAGNOSIN.

Fluxus albus in senioribus mulieribus magis fit, quam in iunioribus. *De Morb. Mul II. V.* 1.

Quum fluxus albus obortus fuerit, velut urina asinina apparet. Et dolor imum ventrem habet, & lumbos, & lateris mollitudinem; & tumores sunt crurum ac manuum; & cava elevantur; & oculi humidi sunt, & color arcuatus, ac albus fit. Et cum iter facit, anhelat. *De Nat. Mul. XV.* 1. *ad.* 8.

Fluxus fulvus fluit, velut ex ovo vitioso, multus & graveolens; & uteri inflammantur, & dolor ex lumbis, & inguinibus emergit; & prodeuntia mala sunt, & si non liberetur, celeriter fluentia. At etiamsi tempus accedat, quae relinant, putrefacit, quam maxime id fieri potest. Riget enim, & velut a carnibus assatis humor defluit, & cum his simul febres fortes, ac rigores fiunt. Ex huiusmodi vero fluxionibus multae pereunt, paucae effugiunt. *De Morb. Mul. II. VIII.* 1. *ad.* 8.

VTERI FLVXVS RVBER. HAEMORRHAGIA.

AD DIAGNOSIN

CAVSAE ANTECEDENTES.

Mora

Morbus hic maxime fit ex abortu. *De Morb Mul. II. V.* 11.

Fit & , quum menses multo tempore retenti derepente eruperint. *Ibid.* 12.

Morbus hic ex partu maxime corripit , si quid in ipsa dilaniatum non prodierit , sed intus computruerit , & foetus exasperatus fuerit. *De Morb. Mul II. VI.* 11.

NOTAE COMITANTES.

Si fluxus in uteris obortus fuerit , sanguis multus fluit , & grumi compacti excidunt ; & dolor occupat lumbos , & laterum mollitudinem , ac imum ventrem ; & durus est venter , & ad contactum dolet ; & rigor ac febris acuta corripit ; & debilitas oboritur ; & omnia praeter humeros , ac scapulas dolet ; & calor invadit , & rubescit , & venae durae fiunt , ac renitentes. *De Morb. Mul. II. V.* 1. *ad* 10.

Ruber fluxus fluit talis , qualis sanguis victimae recens mactatae , & grumi pellucentes. Aliquando vero etiam fluxum rubrum emittit , & venter imus attollitur , & attenuatur , & impotens fit , & indurescit , & ad contactum dolet , velut ulcere praesente ; & febris habet , & dentium fremitus ; & dolor ad ipsa pudenda , & pubem , & lateris mollitudinem , & lumbos , & tendinem , & ventrem , & pectus , & scapulas irruit ; & alias partes omnes dolet ; & impotentia ac pusillanimitas occupat ; & color mutatur. In principio quidem morbi haec corripiunt. Si vero haec omnia moram trahant , adhuc magis debilitatur ; & manifestus est morbus , & cavae partes attolluntur , & pedes intumescunt. *De Morb. Mul. II. VI.* 1. *ad* 10.

AD PROGNOSIN.

Sanguinis fluxus , si 4. die oriatur , diuturnitatem indicat , & alvus effunditur , cruraque intumescunt. *Coac.* 533.

Si fluxui muliebri convulsio , & animi deliquium superveniat , malum. *Aph. V.* 56.

VTERI SVFFOCATIO , *vid. HVSTERICA AFFECTIO.*

VVA MORBVS.

AD DIAGNOSIN.

Si uva morbus in faucibus fiat, ſumma gurgulionis pars aqua impletur, & rotunda fit, ac pellucida, & ſpirationem intercipit. *De Morb. II. XXIX.* 1. 4.

AD PROGNOSIN.

Si maxillae ab utraque parte inflammatae fuerint, ſuffocatur. Si vero ipſe morbus per ſe conſiſtat, maxillis non inflammatis, minus moritur. *Ibid.* 5. 6.

AD THERAPIAM.

Auxilia: gurgulionem digito apprehenſum ſurſum ad palatum apprimere, & ſummam ipſius partem praeſecare. Poſtea foliorum hortenſium condimentariorum decocto gargariſare, & farinam frigidam delingere, aquam inſuper bibere; ſed non lavare. *Ibid.* 7. *ad* 11.

VVAE.

Calidae & humidae ſunt, alvumque laxant, praeſertim albae. *De Diaet. II.*

VVLNVS.

AD PROGNOSIN.

MELIORIS NOTAE.

Minime ab his vulneribus mors impendet, quae in corporis partes minus nobiles, aut a nobilibus quam longiſſime remotas, infliguntur. *Coac.* 509.

DETERIORIS NOTAE.

Vbi diſſectum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut genae pars tenuis, aut praeputium, neque augetur, neque coaleſcit. *Aph. VI.* 19. *VII.* 28 *Coac.* 504. 505.

Si, magnis & pravis exiſtentibus vulneribus, tumores non appareant, ingens malum. *Aph. V.* 66.

Bilis vomitus vulneri ſuccedens, malum denunciat, praecipueque in capitis vulneribus. *Coac.* 507.

NOTAE VVLNERIS LETHALIS.

RATIONE PARTIS LAESAE.

Si ex inteſtinis tenuibus aliquod diſſectum fuerit, non coaleſcit. *Aph. VI.* 24. *Coac.* 503.

Cui perfecta eſt veſica, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum transverſum, aut aliquod ex inteſtinis tenuibus, aut ventriculus, aut hepar, lethale. *Aph. VI.* 18.

Ex vulnere fere mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit cerebrum, aut ſpinalis medulla, aut iecur, aut ſeptum transverſum, vel cor, aut veſica, aut quaedam grandis vena. *Coac.* 509.

Mors quoque ſubit, ſi in arteriam, & pulmonem, inſignes valde plagae inflictae ſunt, ita ut percuſſo pulmone, minor ſit, qui per os prodit ſpiritus, quam qui per vulnus excedit. *Coac.* 509.

Intereunt vero, quibus nervi interiores, ſive tenuis aliquis, ſive craſſus, vulnus acceperit, ſi plaga transverſa fuerit, & magna: quod ſi parva, & recta, nonnulli periculo eximuntur. *Coac.* 509.

Vulnera fere mortem adferunt, quae magnas venas, quae ſunt in collo, & inguinibus, laeſerunt; deinde quae cerebrum, & hepar; deinceps quae in inteſtina, & veſicam pertingunt. Quae ſane omnia magnam perniciem adferunt, non eam tamen, ut (quod quidam exiſtimant) nemo ex his ſervari poſſit. Nam & his nominibus praediti loci multum inter ſe differunt, atque ipſi modi. Nec parum etiam cuiusque corporis conſtitutio differt. *Praedict. II.* 68.

RATIONE SYPTOMATVM.

Vulneri convulſio ſuperveniens, lethale. *Aph. V.* 2. *Coac.* 506.

Quibuscunque, ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, vel qualis ſanguis niger, prodierit, poſtridie moriuntur. *Aph. IV.* 23. *De Loc. in hom. XLIV.* 5.

Qui

Qui ex vulnere subinde rigentes, sanguinem profundunt, ii maligne habent, ac inter loquendum derepente moriuntur. *Coac.* 328.

Ex cerebri vulnere, febris utplurimum, ac bilis vomitus succedit, & corporis resolutio, iique perniciose habent. *Coac.* 500.

NOXAE QVAEDAM VVLNERIBVS SVCCEDENTES.

In vulneribus, quae in supercilium, aut paulo altius inferuntur, visus acies obtunditur; & quo vulnus recentius est, eo magis vident; inveterascente autem, aut tardante cicatrice, magis obtundi solet. *Coac.* 510.

Quibus ex vulnere corporis impotentia accidit, ii quidem, febre citra rigorem oborta, sani evadunt; alioqui dextra aut sinistra parte siderantur. *Coac.* 477.

Contingit (capite vulneratis) etiam vomitus accedere, & ad finem convulsiones; & ut clangorosam vocem edant, ac impotentes fiant; & si in dextris fuerit vulnus, in sinistra parte: si vero in sinistris, in dextra. *Epid. VII. XIX. 6. ad 9.*

Vulnere in thoracem accepto, siquidem externa vulneris pars sanitatem receperit, interna vero nequaquam, suppurationis periculum impendet. Quibus autem interni vulneris cicatrix debilis effecta est, prompte rescinditur. *Coac.* 430.

AD THERAPIAM.

Auxilia: vulneratos fame affligere, alvum subducere, aut per clysterem, aut pharmaco infra purgante; in potu aquam, aut acetum, aut sorbitiones dare; inflammata cataplasmatis frigefacere. *De Affect. XXXVII. 1. ad 4.*

FINIS.

